



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

Liber LXXXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER LXXXVI.

**GREGORIUS X. DEINDE INNOCENTIUS V. TUM ADRIANUS V. SUMMI PONTIFICES.**  
**RUDOLPHUS I. OCCID. MICHAEL VIII. ORIENT. IMPP.**

§. I.

## *S. Ludovici Sanctio Pragmatica.*

**R**ex S. Ludovicus ad suum se iter præparans, ut Ecclesiæ Gallicæ tranquillitati per absentia suæ tempus conservandæ prospiceret, Deique præsidium

Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.  
to. II. cons.  
p. 907.

L1 3



Sæcul. XIII.

A. C. 1269.

*Duboulay*

p. 89.

dium illi accerferet, celebrem constitutionem edidit sub nomine Sanctionis Pragmaticæ notam divisamque in sex puncta sequentia. I. Tam Ecclesiæ quam Præsules, beneficiorumque Patroni & colatores ordinarii pleno jure suo fruantur, & sua cuique jurisdic<sup>ti</sup>o permaneat integra. II. Ecclesiæ cathedrales & aliæ libertate electionum gaudeant, quæ profus effectæ dentur. III. Sacrorum nundinationem, crimen Ecclesiæ tam perniciosum e nostro regno penitus exterminari volumus. IV. Dignitates & alia beneficia officiaque ecclesiastica sic conferantur, ut jus commune, concilia, & institutiones veterum Patrum postulant. V. Renovamus probamusque libertates, prærogativas, immunitates, ac privilegia tum Ecclesiis, monasteriis, aliisque locis piis, tum personis ecclesiasticis a Regibus nostris antecessoribus & a nobis concessa. VI. Neutiquam volumus exigi colligive pensiones pecuniarias, & tributa gravissima, quæ Aula Romana Ecclesiæ regni nostri his collectis misere exhausti imposuit, aut imponet, nisi hoc faciat ob causam justam, & urgentissimam, vel ob necessitatem inevitabilem, atque de nostro ac Ecclesiæ consensu libero & expresso. Dabat Parisiis an. 1268 mense Martio, nimirum an. 1269 ante Pascha.

Quæ-



Quaedam exemplaria punctum sex-<sup>saecul. XIII.</sup>  
 tum contra exactiones Aulae Romanae <sup>A. C. 1269.</sup>  
 non continent: sed subtractum merito  
 creditur. Quamvis enim Aula Romana  
 in reliquis hujus decreti punctis haud no-  
 minetur, fatis tamen apparet, id tendere  
 potissimum ad reprimendas summorum  
 Pontificum molitiones contra propriorum  
 Praesulum jura eligendi, collationes be-  
 neficiorum & jurisdictionem litigiosam:  
 etsi sanctus Rex fortassis etiam Procerum  
 Judicumque profanorum molimina spe-  
 ctaverit. Ab aliquot annis molestas cum  
 Papa Clemente quanquam caeteroquin <sup>Sup. lib. 85.</sup>  
 amico suo controversias habuerat de re-  
 gio jure in vacantia beneficia Ecclesia-  
 rum Remensis ac Senonensis: similibus-  
 que disceptationibus praevertere, ad Re-  
 gis prudentiam pertinebat. <sup>§ 44. 58.</sup>

§. II.

*S. Bonaventura pauperum causam  
 scripto tuetur.*

Quidam Doctor Parisiensis nomine Gi-  
 rardus Abbavillanus Guilielmum  
 de Sancto Amore defendens denuo Fra-  
 tres Mendicantes scripto impugnaverat,  
 cui sanctus Bonaventura pro responsione  
 opposuit opus inscriptum Patrocinium  
 Pauperum, hoc anno 1269, ut putatur,  
 L1 4 editum.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.

Vading.  
263. n. 6. Bonav. opusc.  
to. p. 395.  
edit. Paris.  
1647.

Aug. serm.  
3. in p. 103.  
n. II.

p. 400.

editum. Ibi authorem confutatum haud nominat, seu non cognoverit, seu hominis famæ pepercerit. Ut vidimus, quando Religiosis Mendicantibus objectum fuerat, Christum in oculis aliquid pecuniæ reservasse, reposuerunt, hoc eum per indulgentiam erga debiles fecisse. Girardus Abbavillanus hanc propositionem appellabat errorem noxium, illam indulgentiam cum summa Christi perfectione non coherere asserens. S. Bonaventura respondet per verba S. Augustini: Christus habebat crumenam, & sanctorum mulierum obsequia admittebat. Tum venit S. Paulus, qui ejusmodi subsidium recusabat. Num igitur perfectius agebat quam Christus? Contra Christi ratio agendi sublimior erat, quia charitati plus dabat. Sciebat Paulum talibus auxiliis non usurum: ac ne damnaret illos, qui ea quærent, debilibus eadem accipiendi exemplum præbere ipse voluit.

Girardus etiam dicebat: Blasphemia est negare, Christum esse in qualibet re imitandum præsertim tendentibus ad perfectionem. S. Bonaventura reponit: Ergo imperfectus nuncupabitur S. Paulus, quod sequi se foeminas passus non sit, quæ victum ipsi subministrarent; imperfectus S. Joannes Baptista, quod vitam duxerit in solitudine, vinumque nunquam biberit: imperfectio vocabitur esse arbi-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.

arbitrum inter fratres de hæreditate disceptantes; imperfectio non relinquere loculos suos in manibus infidi œconomi. Nempe quamvis Christus omnis perfectionis norma sit, non quivis tamen Christianus ad omnes ejus actiones singulares se conformare debet. In nostris viribus non est potentiam illius sapientiamque imitari patrando miracula, & arcana mentium detegendo. Non omnium est imitari ejus facta, quæ summam auctoritatem postulabant; ut venditores e templo ejicere; Pontifices vehementibus verbis perstringere; remittendo peccata & Sacramenta impertiendo functiones sacerdotii exercere. Quidam imitari debent, quæ per indulgentiam erga infirmitatem nostram fecit, abscondens se, cum peteretur insidiis, & suum Patrem, ut cruciatus ab ipso averteret, orans. Aliis demum sequenda sunt perfectionis exempla, quæ per inopiam & virginitatem suam, transigendo noctes precibus, & in mortem pro inimicis suis se tradendo præbuit.

Girardus perhibebat, perfectionem, & imperfectioem, sibi opponi sicut virtutem ac vitium, sanitatem & morbum. S. Bonaventura id negans, Imperfectio, de qua hic agitur, inquit, non est malum, sed minus duntaxat bonum, veluti matrimonium cum perfecta continentia collatum:

L 1 5

latum:



Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.

p. 402.

p. 404.

latum: Et perfectio consistit in exerci-  
tatione non modo virtutum præcepta-  
rum, verum etiam operum gratuitorum,  
& in patientia tam magna, ut ærumnas  
amet etiam. Hæc autem perfectio ma-  
jor est in illo, qui se voto, ut ad eam  
per omnem vitam suam aspiret, consuli-  
to astringit, sic Deo non fructus tantum  
sed arborem ipsam, scilicet volun-  
tatis fundum, tribuens. Dantur in per-  
fectione gradus: virginitas eminent præ-  
viduitate: & perfectio diversa est pro ra-  
tione statuum: alia Præfuli, alia priva-  
to convenit. Antistes non suam solius,  
sed & gregis sui salutem procurare, jam-  
que ut privatus, antequam illius curam  
fufcipiat, esse perfectus debet, atque hoc  
oneris ob pericula ei annexa non nisi in-  
vitus accipere. E contrario quia Reli-  
giosus privatæ salutis suæ invigilat, vi-  
tiosi & imperfecti cupere hunc statum &  
amplecti possunt, ut in eo se purgent ac  
perficiant: cum tamen privatus homo  
etiam perfectissimus munus Præfulis cum  
decentia & sine arrogantia captare ne-  
queat.

p. 396.

Tum S. Bonaventura Girardo Abba-  
villano respondet de insectationis mortis-  
que fuga, quam hic Doctor maxime pe-  
re laudabat tanquam actionem viris sanctis-  
simis perfectissimisque dignam. Hujus  
vero disputationis occasio fuisse videtur  
agendi



agendi ratio S. Francisci ac primorum e-  
 jus discipulorum, qui nimis ardentem a-  
 pud ethnicos necem quæsierant, ut Mar-  
 tyres Marocenses Septanique & ipse San-  
 ctus in obsidione Pelusii anno 1219.  
 Quapropter S. Bonaventura bene probat,  
 Christianæ perfectionis esse per mortem  
 Deo conjungi cupere; atque Christum se  
 occultentem non timuisse illam sed vitaf-  
 se, ut imbecilles indulgentia exemploque  
 suo purgaret, ac solaretur. At S. Do-  
 ctor quantum mihi quidem videtur, ni-  
 mium dicit, dum contra regulas bonæ  
 antiquitatis asserit, perfectionis esse ultro  
 se morti exponere: & quæ de quibus-  
 dam Apostolis atque Martyribus asserit,  
 exempla indicant, eum falsis deceptum  
 actis fuisse.

Girardus abstinentiam & jejunium  
 imperfectis tantummodo convenire dice-  
 bat temperare gulæ nescientibus. Ab-  
 utebatur etiam quodam Pauli loco de de-  
 ceptoribus, qui novissimis venturi tem-  
 poribus, & conjugium ciborumque a Deo  
 productorum usum interdicturi essent.  
 At S. Bonaventura hanc vaticinationem  
 ad Manichæos attinere, abstinentiamque  
 ac jejunium exercitia perfectionis esse  
 generatim ac perbene ostendit.

Dein ad paupertatem progressus affir-  
 mat perfectissimam consistere in abdic-  
 atione omnis domini bonorum tempora-  
 lium

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1269.

Sup. lib. 78.  
 §. 25. 44. 27.

p. 405.

Sup. lib. 7.  
 §. 36. 40.

p. 411.

p. 410.

I. Tim. 4.

p. 417.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1269.

lium tam communium quam privatorum, nec nisi simplicem eorum usum ad vitam plane necessarium admittere. Hoc erat systema Religiosorum Mendicantium. Quod ut stabiliat, prius paupertatis genus primitivam Christianorum Ecclesiam Hierosolymis omnia bona sua communiter possidentium, alterum Apostolos esse amplexos perhibet, pro certo sumens, sed non demonstrans, eos non ut reliquos ex his bonis communibus victitasse.

p. 422 B. p.  
418.

Servatorem ipsum mendicasse ut probet. S. Bernardum citat, quem dixisse refert, Christum duodecim annos natum infans parentibus Hierosolymæ manentem tri-duo victum ostiatim quæsisisse. Hic autem locus non est S. Bernardi, sed Eleri Abbatis Rievallensis, qui solum per conjecturam inquit: Quid dicam, Domine? An, ut omnes humanæ naturæ miseras susciperes, ostiatim stipem petebas?

p. 425. 437.

Girardus asseverabat majoris esse perfectionis patrimonio carentem vivere de bonis Ecclesiasticis, quam omnino nihil possidere. S. Bonaventura concedit, ea posse teneri salva perfectione, & administrantibus tuenda esse: at semper contendit esse tutius perfectiusque possidere nihil. Extollit paupertatis integræ utilitates præsertim ad exponendum Evangelium, cujus doctrina credibilior sit & acce-

p. 427.

432.



acceptior suos præcones omnia bona temporalia prorsus aspernari cernentibus.

Sæcul. XIII.

A. C. 1269.

438.

Præterea Girardus ad Fratres Minores, Afferitis, aiebat, vos usum quidem rerum complurium, nullius tamen dominium habere. Sed, ut nemo non videt, hæc opinio ridicula est in rebus usu peruentibus, qui quod consequitur, ab earum dominio separari nequit. Cujusnam igitur est pecunia, quam postulatis, & ex omni parte congeritis, si nihil communiter habetis? S. Bonaventura reponit: Ad Papam & Romanam Ecclesiam pertinent, quæcunque nobis dantur: nos duntaxat simplicem eorum usum habemus. Sumus respectu Papæ, quod de jure Romano filii familias sunt, qui nullam rem possunt accipere, cujus dominium non protinus ipsorum pater obtineat. Traditum nobis donum est instar illius, quod monacho privato affertur: qualiscunque sit donantis intentio, muneris dominium ad cœnobium & Abbatis arbitrium transit. Præterea secundum regulas juris nemo quidquam acquirere potest, nisi velit: Fratres autem Minores nullam acquirendi intentionem habent: eorum voluntas prorsus contraria est: ita licet tangant, quod accipiunt, nec dominium ejus nec possessionem obtinent: id quod Papæ cunctis humanis legi-

legi-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.  
legibus superioris autoritate confirmatur. Jurisconsultis relinquo judicandum, an ille, qui ambabus manibus, quod sibi offertur, capit, acquirendi animum, quidquid dicatur, non habeat.

p. 439.

S. Bonaventura pergit: Pecuniam Fratribus nostris victus causa donatam ad familiam vel Ordinem non pertinere certum est: quia regula vetat, ne quis eorum aliquam aut per se aut per alium interpositum accipiat. Quapropter, qui hanc pecuniam illorum bono adhibet, non id facit ipsorum nomine, sed tanquam procurator donantis, cui semper est propria, donec sic impendatur, id quod etiam juris civilis autoritate fulcit. Porro S. Franciscus, subjicit S. Doctor, singulariter prohibuit, ne pecuniam possideremus, quippe quæ præ bonis reliquis tentare, occupare, irretire etiam perfectos queat. Prope finem hujus operusculi dicit, Fratres Minores annos sexaginta & amplius de magna stipis copia vivere: quod indicat hunc annum 1269. aut sequentem: nam prima regulæ approbatio facta est an. 1210. Denique fatetur, majoris perfectionis fore exemplo S. Pauli inter sacras conciones laborare manibus, alendi se ac insuper stipem dandi gratia. Sed debilitatem corporum & tarditatem ingeniorum nostri sæculi id non admittere dicit.

p. 443. E.

Sup. lib. 76.

S. 54.

p. 446. F.

S. III.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.

§. III.

*S. Bonaventuræ opera.*

Sanctus Bonaventura plura alia scripta composuit, ut defenderet Ordinem suum, regulamque S. Francisci exponeret: ac generatim ut loquar, operum ingentem numerum, tractatus Philosophiæ atque Theologiæ, commentarios in sacras litteras, conciones, & libros de pietate reliquit. Hi ultimi sunt illi, in *Vading.* quibus potissimum excellit, habeturque *script. Ord.* inter sui temporis Doctores spiritualis vi- *Min. p. 62.* tæ Magister summus, maxime movens *66.* animos, & unctiōne plenissimus. Inter *Proam.* ejus opera de pietate meditationes vitæ Christi singularem merentur attentionem. Inscriptis eas cuidam Religiosæ secundi Ordinis S. Francisci, nempe Virginum S. Claræ, ac exemplo utriusque illam hortatur ad meditandam assidue Christi vitam. Dein adjunxit: Ne crede, nos omnia ejus facta dictave meditari posse, aut scripta esse omnia! Sed quo magis actiones ejus te afficiant, has referam, quasi essent ita factæ, ut earum species animo repræsentari possint: sic enim ipsum codicem sacrum meditari possumus, dummodo nihil addamus veritati, vel fidei, aut bonis moribus contrarium.

Supra



Saul. XIII.  
Ac. C. 1269.

c. 7.

Supra hoc fundamentum quasi pietas totius Christi vitæ tabulas erexit, divini codicis narrationibus addens circumstantias: quas idoneas putabat, & interdum desumpserat e scriptis incerti auctoris ac dubiæ fidei, quæ tum pro veris habebantur, aut ex oraculis parum certis. Exempli gratia Christi ortum ita descripsit. Cum venisset hora, nempe diei Dominicæ seu potius mediæ noctis, Virgo surgens ad proximam columnam adnuitur: sed S. Josephus sedet, dolens forsitan, quod convenientia præparare nequeat. Dein se allevat, foenum e præsepi depromptum sternit ad pedes Virginis, & alio se vertit. Mox Dei filius relicto matris dolorem nullum patientis utero, in foeno ejus pedibus astrato jacet. Quæ se inclinans petitem tenero amplexu filium genibus imponit suis, suo lacte affatim manante lavat, & sui capitis velo involutum in præsepi collocat. Bos & asinus genibus humi, rictibus supra præsepe positus infantem, quasi noscerent, suo afflatu fovent. Genitrix Deo gratias agens cum Josepho supplex adorat filium. S. Bonaventura dicit, ista sibi articulatim sanctum quendam Ordinis sui Religiosum, huic SS. Virginem ipsam significasse.

Totum opus reliquum eodem modo scriptum est: atque similibus picturis aucto



thor addidit dialogos ac sermones rebus accommodatos. Quam methodum secuti postea sunt Ascetæ reliqui, dum meditando materias subministrabant: timendumque, ne illa imbecillibus ingeniis præbuerit occasionem pro arcanis divinitus cognitis habendi ea, quæ magnopere sibi persuaserant. Fortassis etiam hoc exemplum gesta Sanctorum scribentibus auctoritatem dedit ad excogitanda audacius facta vel saltem circumstantias, quas nutriendæ pietati habiles censebant.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1269.

§. IV.

*Palæologi ratio agendi de Ecclesiâ Græca Latinæ reconcilianda.*

Post Conradini cladem Rex Carolus Andegaviensis nec in Sicilia, nec in Italia hostes, quos impugnaret, habuit. Submisere se omnes usque ad Saracenos Nucerinæ, qui diuturnam passi obsidionem tandem annonæ penuria victoris arbitrio se permittere cogebantur 27. Julii an. 1269. Venerunt collis laqueo circumdatis, & in genua provoluti ejus mancipia se fatebantur solam vitæ gratiam flagitantes: qua obtenta in loca varia dispergebantur, ne in posterum moliri quidpiam possent. Aliqui sanam amplexi fidem salutis fonte aspersi sunt. At

G. de Post.  
Laur. c. 49.  
Mon. Pad.  
p. 625.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXI. M m Chri-*



Sæcul. XIII. Christiani rebelles inter illos inventi ju-  
A.C. 1269. bente Carolo necabantur.

*Ducange*  
*hist. C. P.*  
*lib. 5. n. 40.*

*Pachym. lib.*  
*5. c. 8.*

Ita firmato sibi solio Rex consilia sua longius porrigens, Constantinopolim capere, vel saltem jura sibi an. 1267. ab Imperatore Balduino tradita persequi cogitabat. Utramque rem vehementer timebat Imperator Michael Palæologus, se Caroli viribus terra marique inferiorem, ac Brundisio Dyrrachium transiendi facilitatem videns. Igitur sæpe ad Papam tabellarios misit, sed clanculum, eo quod aditus custodirentur: & nonnunquam Fratrum Mendicantium opera utebatur. Blandis in epistolis suis Papam obsecrabat, ut ne Carolum pateretur bellum inferre Græcis, qui Latinorum instar & Christiani essent, & Papam agnoscerent Patrem spiritualem ac primum Episcoporum. Promittebat se facturum, ut cesset schisma, vetus Ecclesiæ unitas redeat, eaque in unicum coalescat gregem: addebatque, ab eo tempore, quo Græci Constantinopolim rursus intrassent, huic consilio nihil obstare amplius. Simul Cardinalibus pecunias mittebat, ut eos cæterosque, qui Papam ipsi benevolum reddere possent suis partibus adjungeret.

*ap. Rayn.*  
*1270. n. 3.*

Etiam Regi S. Ludovico per Oratores ac epistolas significavit, se suumque Clerum ac populum ad Ecclesiæ Romanæ



næ finum revertendi cupidos sæpe ad  
 facram Sedem nuncios misisse; sed hac  
 in re sibi non esse satisfactum. Idcirco  
 Regem, ut hujus arbitrum ageret, per  
 tribunal Christi, extremumque judicium  
 obtestabatur, se, quod ille statueret,  
 sanctissime observaturum spondens. Rex  
 schismaticorum reconciliationem arden-  
 ter desiderans, sed optime gnarus suum  
 non esse, de hac mere spirituali materia  
 pronunciare, Palæologo respondit, se  
 hujus arbitrium haud posse suscipere, sed  
 eam libentissime summo Pontifici com-  
 mendaturum, ad quem pertineret sen-  
 tentiam dicere. Hoc fine ad Romanam  
 curiam duos Fratres Minores Eustachium  
 Atrebatensem, & Lambertum Cultura-  
 num misit cum epistolis ad Cardinales  
 Ecclesiam Romanam vacante sede admi-  
 nistrantes, quibus illi propositionem Im-  
 peratoris Græci, ac Regis responsum ex-  
 posuere.

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1269.

S. Ludovicus ab aliquod annis com-  
 mercium cum Rege Tunetano habebat,  
 sæpiusque Nuncios alter alteri miserant.  
 Nam plures homines fide digni edoce-  
 bant Regem, hunc Principem Musul-  
 mannum ad Christianam religionem ma-  
 gna voluntatis inclinatione propensum,  
 si nancisceretur honestam occasionem,  
 quæ a subditis tutum redderet, ad illam  
 libentissime transiturum esse. Id ferven-  
 ter

*Duchesne*  
 to. 5. p. 461.

M m 2

ter



Sæcul. XIII.  
A.C. 1270.

ter cupiens Ludovicus dicebat interdum:  
O si talem filium de sacro fonte fulciperem! Hæc spe Occitaniam inferiorem tanquam suas terras recogniturus adire voluit, ut illic, si Deus Regem Tunetanum ad accipiendum baptismum permoveret, bono huic operi promovendo esset propior. Die S. Dionysii 9 Octobris an. 1269. in ipso Sancti templo solenniter aqua vitali ablui curabat Judæum notissimum, cujus patrem lustricum agebat. Rex Tunetanus ad eum rursus Legatos miserat: quibus huic ritui adesse iussis studio religionis flagrans, Meo nomine agebat, Regi Domino vestro dicite, me adeo ipsi salutem animæ precari, ut apud Saracenos in carcere ac tenebris reliquos dies meos transigere vellem, dummodo ipse cum gente sua Christo bona se fide adjungeret.

Cardinales, quorum supra memini duobus Fratribus, quos S. Ludovicus Græcorum causa miserat, auditis ei per epistolam Viterbii 15 Maji an. 1270. datam responderunt, se rem Cardinali Episcopo Albanensi, Romano in Francia Legato commisisse, monueruntque Regem ne fideret Græcorum artibus, similia sæpe solummodo temporis ducendi causa proponentium. Eodem die Cardinales scripsere Legato facientes copiam cum Palæologo negotium per postremos duos

Ruin. 1270.  
n. 2.



Pontifices Maximos coeptum ita resu- Sæcul. XIII.  
 mendi, ut a conditionibus, quas hi Græ- A. C. 1270.  
 cis imposuissent, non recederet. Is Le-  
 gatus erat Radulphus Caprerijs antea  
 Episcopus Ebroicensis, cui Papa Cle-  
 mens præter crucem manu sua traditam,  
 legationem ad militiæ sacræ copias detu-  
 lerat. Sed ne injunctum sibi munus Pa- Rayn. 1266.  
 pæ obitu antiquatum esse diceret, Car- n. 7.  
 dinales hoc ei confirmarunt: ac reapse  
 S. Ludovicum in itinere comitatus est.

§. V.

*Beata Isabella Gallicæ Princeps.*

Sanctus Rex ante suum abitum aderat Vie par  
 exequiis Isabellæ unicæ sororis suæ, Agnes p.  
 tali fratre dignissimæ. Cum ab ineunte 160.  
 ætate statuisset se consecrare Deo, obla- v. Castelain  
 tum sibi cum Conrado Imperatoris Fri- not. martyr.  
 derici filio connubium renuit quamvis a IV. p. 172.  
 Rege fratre suo ipsoque Papa Innocen-  
 tio IV. sibi suafum. Maximam temporis  
 sui partem precibus & codici sacro lati-  
 ne legendo dabat, hujus linguæ adeo  
 perita, ut sæpe litteras a facelli sui Præ-  
 fectis pro more seculi nomine suo scri-  
 ptas corrigeret. Crebro colebat jeju- p. 171.  
 nium generatim tam modico contenta  
 cibo, ut mirum esset eam posse illo vive-  
 re. Quotidie sacra confessione perpur-  
 gabat animum, frequenter in se flagris



Sæcul. XIII. sæviebat, & altum tenebat silentium.  
 A. C. 1270. Pauperum multitudini, quam alebat,  
 suis serviebat manibus: stipem immen-  
 sam erogabat.

p. 172.

p. 173.

*Homer.*

*Acad. p. 125.*

*Dubreuil  
 Antiq. p.  
 1256.*

*Lachese lib.  
 9. n. 6.*

*Gall. Chr.  
 to. 4. p. 575.*

Piam institutionem aliquam cum de-  
 creviffet, hærebat dubia, domumne ho-  
 spitali, an cœnobium Ordinis S. Cla-  
 ræ construeret ac dotaret. Itaque Hen-  
 ricum Varium Ecclesiæ Parisinæ Cancel-  
 larium, tunc conscientiæ suæ arbitrum  
 clam consuluit, quo suafore prope Pari-  
 sios ad occidentem monasterium Longo-  
 Campanum condidit, cujus claustra Vir-  
 gines Deo sacræ in vigilia S. Joannis 23  
 Junii an. 1261. intrarunt: & regulam  
 eis traditam inter alios Ordinis Doctores  
 S. Bonaventura examinaverat. Huic  
 Isabella domui nomen *Humilitatis Domi-  
 næ Nostræ* dedit: huic ipsa se incluit,  
 sed absque voto, ac veste religiosa: ibi-  
 que sanctam mortem oppetiit 22. Febr.  
 an. Christi 1269. scilicet 1270. ante Pa-  
 scha, ætatis suæ 45. Intra cœnobium  
 humari voluerat: & Rex Ludovicus fra-  
 ter ejus ad portam ipse astitit, nequis  
 intro iret præter personas necessarias.  
 Brevem sermonem unctiōne plenum ha-  
 buit, ut dolentes jacturam Virgines solu-  
 retur. Isabellæ vitam Agnes Harcurtina  
 tertia monasterii Antistita scripsit rogan-  
 te Siciliæ Rege Carolo sanctæ Princi-  
 pis fratre, apud quam illa annos non  
 pau-



paucos egerat. Quadraginta miracula Sæcul. XIII.  
 post Deum ejus precibus adscripta refert. A. C. 1270.  
 Anno 1521 Papa Leo X permittit, ut eam                       
 Longo-Campenses tanquam Beatam co-  
 lerent.

§. VI.

*S. Ludovici profectio.*

Eodem mense Februario an. 1270 Rex  
 Ludovicus testamentum suum com-  
 posuit potissimum ex piis legatis. Ibi li-  
 bros suos donat Parisiensibus Dominica-  
 nis Fratribusque Minoribus, Abbatiaë Re-  
 giomontanaë ac Dominicanis Compen-  
 diensibus. Certas pecuniæ summas tri-  
 buit ingenti cœnobiorum domuumque ho-  
 spitalium numero: & inter monachos Joinv. observ. n. 401.  
 Parisinos nominat Carmelitas, Guilielmi-  
 nos Montis Rubri, ac Eremitas S. Augu-  
 stini. Duchesne p. 438. Duboulai p. 392. Largitur etiam pauperibus schola-  
 sticis ad S. Thomam, in Lupara, ad S. Ho-  
 norium, & apud Juvenes Bonos, sic per  
 antiphrasim dictos, revera prodigos. In  
 egena possessionum suarum templa distri-  
 buit, unde ornamenta & calices emant.  
 Jubet pensiones porro exsolvi hominibus  
 sacro baptismate tinctis, quos e transma-  
 rinis advexisset locis; nimirum ethnicis,  
 quos Christo adjungi curaverat. Testa-  
 menti hujus executionem mandat  
 Stephano Episcopo Parisino, Philippo ele-  
 cto Episcopo Ebroicensi, Abbatibus ad  
 S. Dionysium & Regiomontano ac duo-



Sæcul. XIII.

A.C. 1270.

*Gall. Chr.*  
to. I. p. 448.

bus e suis Clericis. Actum mense Februario an. 1269 nempe 1270 ante Pascha. Mense Martio sequente Rex cuncta beneficia regiae possessorum nominationi obnoxia, quæ per absentiae suæ tempus intra juris regii dies, aut alio modo vacarent, conferendi copiam Episcopo Parisino fecit ea lege, ut hic Ecclesie Parisiensis Cancellarium, Priorem Dominicanorum, & Franciscanorum Guardianum, ut vocant, in consilium adhiberet. Regni denique administratores Rex Matthæum Abbatem ad S. Dionysium, & Simonem Claromontanum Neellæ Dominum designavit.

*Labba**Meslan.*

p. 662.

*Duchesne*

p. 384.

Die Veneris 14 Martii ad S. Dionysii templum delatus, ibi crumenam Zonariam & baculum viatorium longiorem e manu Legati Radulphi Episcopi Albanensis, & flammeum Gallie vexillum de altari accepit. Tum monasterii senaculum ingressus in ultimo sex graduum ad fellam Abbatis confidebat, seque ac liberos suos in monachorum preces commendavit. Postero die sabbati e palatio suo ad Parisinum Dominæ Nostræ templum nudis ibat pedibus, eam illic ultimo salutatum. Comites habebat filium suum Petrum Alenconii Comitem pariter nudatis incedentem pedibus, filium natu maximum Philippum, Robertum Artesie Comitem nepotem suum, pluresque alios.

Iter



Iter ingressus, cum Pascha hoc anno 1270 Sæcul. XIII.  
 in decimum tertium Aprilis incidens A.C. 1270.  
 Cluniaci egisset, Lugduno, Vienna, & Be-  
 licadro ad portum Aquimortanum, qui  
 locus ad conveniendum edictus fuerat,  
 pervenit. Pentecostes die, qui primus  
 Junii erat, Fani, S. Ægydii celebrato, Ge-  
 nuensium naves se cum suis transvectu-  
 ras usque ad mensis exitum expectavit.

Priusquam discederet, Abbati ad S. *Spicil.*  
 Dionysium ac Neellæ Domino scripsit, ut to. 2. p. 548.  
 impia in Deum cælitesque verba cæte-  
 raque mali exempli crimina & lupanaria  
 tollerent. Dabat 25 Junii. Die Martis *Duchesne*  
 1 Julii, cum adfuisset sacro, prima luce p. 385.  
 Aquis-mortuis navem conscendit. Po- *Spic. p. 550.*  
 stridie vela dabantur: eratque prospera  
 primum navigatio: sed nocte Dominicam  
 inter ac lunæ diem horribilis orta tem-  
 pestas est. Igitur mane quatuor liturgiæ  
 canebantur, prima de B. Virgine, altera  
 de Angelis, tertia de Spiritu Sancto, quar-  
 ta pro vita functis. Die Martis 8 Julii ve- *Duc. p. 386.*  
 nerunt in conspectum Calaris Sardinia  
 urbis primariae, ubi aquam dulcem, quæ  
 deerat, & cibaria, sed ægerrime maximo-  
 que pretio sibi comparabant, quia urbs  
 ad Pisanos Genuensium inimicos pertine-  
 bat. Galli stimulabant Regem, ut di-  
 ruendo locum poenas de illis sumeret.  
 At ipse negabat se venisse arma Christia-  
 nis illatum.



Sæcul XIII.  
A.C. 1270.

§. VII.

*Molitio contra Tunetum.*

p. 461.

In Calaris portum convenit classis sacrorum pugilum, quorum præcipui post Regem S. Ludovicum erant gener ejus Rex Navarræ, Comes Pictaviensis frater illius, Comes Flandriæ, ac Joannes Britanniae Comititis filius natu major. Die sabbati 12 Julii Legatus & Barones congregabantur ad Regem, ut inirent consilium, audirentque, ubi ethnicos impugnarent. Plurimi censebant recta Palestinam vel Ægyptum petendam esse. At Rex se cogitare primum ire Tunetum dixit: quod inopinatum fuit assidentibus Regis rationes erant, prima quidem Regem Tunetanum Christo adjungendi spes in facta, ut vidimus, invitatione nitens; altera desiderium Christianæ fidei revocandæ in illam Africæ oram, in qua olim hæc adeo floruisse. Itaque S. Ludovicus reputabat, si numerosus iste, quem duceret, exercitus Tunetanam subito in oram exscenderet, hanc optimam, quam ejus Rex nancisci posset, occasionem fore accipiendi baptismum sub obtentu servandæ vitæ suæ ac illorum, qui Christiani cum ipso fieri, ac regnum ipsius saluum præstare vellent. Erant præterea, qui Ludovico exponerent, si Rex Tunetanus



tanus Christianam fidem amplecti nollet, Sæcul. XIII.  
urbem totamque adeo regionem facillime A. C. 1270.  
in potestatem redigi posse. Addebant :

Urbs auro, argento, & opibus immensis  
affluit, quippe a longo tempore non ca-  
pta: &, quod consequitur, Christianus  
exercitus magnas inde capiet utilitates  
ad recuperandam Palæstinam. Hanc ut  
infestam Sultanus reddat, ex illa homi-  
nes, equos, arma trahit: exsiccandus est  
fons. Sed quod hanc molitionem forsi-  
tan maxime omnium rerum persuasit, e-  
rat emolumentum Regis Siciliae Caroli,  
qui in dies expectabatur: nam Rex Tu-  
netanus tributum ei debitum pendere o-  
mittebat.

*Guiart.*  
*p. 165.*  
*Duchesne*  
*p. 388.*

Statuto molimine Christianus exer-  
citus e Calaris portu die Martis 15 Julii Spicil.  
profectus die Jovis sequente attigit por- p. 550. 552.  
tum Tunetanum prope ruinas antiquæ  
Carthaginis. Exscensione repugnante  
nemine facta Regis copiae castra meta-  
tæ plures cum Saracenis velitationes  
conferebant, cum advecti duo Catalauni *Duchesne*  
Equites Regi significarunt, Regem Tu- p. 389.  
netanum omnes Christianos milites mer-  
cede conductos jussisse comprehendere, di-  
xissetque, se singulos plexurum capite, si  
Christianus exercitus Tunetum usque  
procederet. Sic affectus ad sanam reli-  
gionem hic Princeps erat. Interim mor-  
bi, qui copias Gallicas jam ante exscen-  
sionem



Sæcul. XIII. fionem invaserant, quotidie augebantur.  
 A.C. 1270. Erant potissimum febres acutæ, & dysen-

p. 391.

teria, quas victus noxius, aquæ dulcis penuria, intemperies aëris, climatis calor, & anni tempus creaverant. Joannes Tristanus regis e filiis Niverini Comes 3 Aug. obiit, eumque Ludovicus Regiomontii humari volebat, non in S. Dionysii æde, in qua Reges soli sepelirentur.

*Spicil. p. 559* Legatus Radulphus Caprerijs die Jovis septimo ejusdem mensis animam efflavit. Quendam Fratrem Ordinis Prædicatorum suum in locum substituerat: sed plures Jurisconsulti castrenses dubitabant, an id faciendi potestatem habuerit. Philippus Regis filius natu maximus quartana, Rex ipse alvi profluvio, deinde feбри continua laborabat.

*Pachym. l. 5.*

c. 9.

Jam pessime se habebat, cum Michaelis Palæologi Legatis aures præbuit. Erant duo viri ecclesiastici, suis dignitatibus, meritisque propriis spectabiles, Joannes Veccus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax, & Constantinus Meliteniota imperatorii Cleri Archidiaconus. Conscensa Valonæ navi ad Siciliæ promontorium Pachynum advecti Regem Franciæ ante Tunetum versari audierant. Eo delatos Rex quantumvis æger ad alloquium admisit, traditasque Imperatoris litteras legit, quibus hic orabat, ut ille Regem Siciliæ fratrem suum mitigaret,



ret, & ab inferendo Græcis bello abdu-  
ceret. Ludovicus suum pacis amorem  
testificatus, se, si viveret, pro viribus id  
acturum spondebat, rogans, ut interea  
quieti expectarent. At postridie ad Deum  
excessit: & Legati re infecta abierunt.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1270.

§. VIII.

*S. Ludovicus filio suo salutaria dat  
monita.*

**R**ex S. Ludovicus se morti proximum  
videns Philippo filio suo natu maxi-  
mo monita præbuit sua manu scripta his  
verbis: Dilecte fili! Ante omnia tibi com-  
mendo, ut Deum toto pectore ames:  
quod ad salutem est necessarium. Cave,  
nequid agas, quod ei displiceat: cave  
noxam mortiferam! potius omne tormen-  
ti genus tibi esset sufferendum. Siquid  
adversus tibi Deus immittit, æquo fer ani-  
mo, & gratias age: cogita te id meritum,  
ac tibi bene cessurum esse! Si rem pro-  
speram tibi evenire jubet, gratias ei pa-  
lam dicito, ne pejor ex illa per arrogan-  
tiam vel alio modo fias: nec enim Dei  
dona contra ipsum vertenda sunt. Con-  
fiteri crebro, ac delige conscientiaæ arbi-  
tros probos doctosque, qui te, quid a-  
gendum tibi aut vitandum sit, edocere  
sciant: eisque & amicis tuis te libere car-  
pendi

Joinville  
p. 126.  
Observ.  
p. 398.  
Duchesne.  
p. 391.



Sæcul. XIII.

A.C. 1270.

pendi monendique copiam fac! Divinis  
pius adesto, nec nugare, vel oculos huc  
illuc conjice: sed ore ac mente precare  
Deum, præsertim sub sacrificio post con-  
secrationem!

Animum mitem & ad commiseratio-  
nem propensum habe, ac pauperes pro vi-  
ribus juva! Siquid grave tibi accidit, mox  
Patri spirituali vel viro probato indica!  
& facilius perferes. Ad societatem tuam  
solos frugi homines seu Religiosos, seu  
profanos admitte, ac sæpe cum illis loque-  
re! Audi libenter sermones sacros tam  
privatos quam publicos: precibus & in-  
dulgentiis stude! Ama omne bonum, &  
omne malum in omnibus oderis! Nemo  
ausit te præsentem verbum, quod ad pec-  
catum incitet, loqui, vel alienam famam  
lædere: nec coram te impias in Deum  
ac Superos voces mitti patere, quin sta-  
tim punias! Frequenter Deo pro bonis  
omnibus in te collatis gratias habe, ita ut  
accipere plura merearis! In jure dicen-  
do rigidus, ac sinceræ in subditos fidelis  
esto: nec ad dextram vel sinistram de-  
flecte partem! Egentioris causam fove:  
& siquam habet tuis contrariam commo-  
dis, tibi potius quam illi deesto, donec  
veritatem scias: ita facies, ut qui a con-  
siliis tibi erunt, æquitatem observent fi-  
dentius. Siquid alienum per te aut per  
tuos ministros retines, idque constet, fi-  
ne



ne mora restitue: si dubium est, prompte ac sedulo declarandum cura!

Sæcul. XIII.  
A.C. 1270.

Omnes intende nervos, ut subditi, præsertim Religiosi & Clerus vivant in pace & justitia. Ut ferunt, Regi Philippo avo meo quidam e consiliariis suis aliquando dixit, Ecclesiam ipsius jura & jurisdictionem sæpius minuere. Respondit ille, se id credere; cæterum factas sibi a Deo gratias reputantem malle jus suum negligere, quam cum Ecclesia disceptare. Ama igitur Clerum, fili mi, & pacem cum eo, quoad poteris, cole! Ama Religiosos, ac beneficiis pro viribus cumula, maxime illos, qui Deum plus honorant, fidemque sanam exponunt, ac celebrant. Patri matrique tuæ amorem, reverentiamque debes ac obedientiam. De consilio frugi hominum beneficia ecclesiastica viris idoneis dignisque & nullum habentibus confer! Bellum, præsertim contra Christianos sine magna deliberatione ne suscipe: atque si capeendum est, Clerum & innocentes ab omni damno tuere! Bella & dissidia, cum primum poteris, sedita, ut S. Martinus faciebat. Cura, ut bonos Magistratus ac Prætores habeas, & inquire crebro, quomodo illi & domestici tui sese gerant! Pecata præcipue turpia indignaque jura & hæreses tollere pro viribus conare! Vide, ut sumptus familiæ tuæ cum  
ratio-



Sæcul. XIII.

A.C. 1270.

ratione congruat, & intra modum maneat! Oro te, chare fili, ut, prior te si moriar, animæ meæ per preces ac sacrificia totius Galliæ suppeticas ferri cures, tuorumque omnium bonorum operum partem mihi singularem tribuas. Denique faustis ad Deum precationibus, quascunque pater pro filio facere potest, te prosequor. Ille te ab omni malo servet incolumem, faciatque, ut suam semper voluntatem sequaris, & post hanc vitam perpetuo se simul laudemus! Amen.

*Obs. Joinv.*  
p. 400.

Similibus documentis Rex filiam suam Isabellam Navarræ Reginam imbuuit. Repetiit eadem præcepta, insistens amoris Dei usque adeo, ut diceret: Si scires, nullam te boni, quod faceres, mercedem, nullamque mali, quod committeres, pœnam manere, nihil tamen, quod nostro displiceret Domino, sed ea tantum, quæ huic placerent, deberes agere & solo quidem ejus amore. Commendabat illi obedientiam erga maritum, ut ne plures simul vestes aut gemmas quam pro dignitate sua haberet, sed saltem ex supervacaneis stipem spargeret; non nimium tempus aut curam sibi ornandæ impenderet; nec cultus modum excederet, sed potius illum in dies minueret.



§. IX.

*S. Ludovicus moritur.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1270.

Ingravescente morbo Ludovicus Sacra-  
 menta summo pietatis ardore suscepit  
 etiamnum adeo sibi præfens, ut, cum su-  
 premum inungeretur, psalmorum versi-  
 culos & Sanctorum nomina in litanis re-  
 citaret. Imminente morte divinis tan-  
 tum rebus ac propagandæ fidei studio oc-  
 cupabatur, ita, ut nonnisi tenuissima vo-  
 ce ac ægerrime loquens aurem ad suum  
 os admoventibus diceret: Per Deum,  
 quæramus, quomodo Tuneto fides ex-  
 poni queat! O! quis eo mitti posset? Et  
 nominabat quendam Dominicanum ibi  
 alias versatum Regique Tunetano cogni-  
 tum. Nocte mortem suam antecedente,  
 Hierosolymam, ajebat, ibimus. Quam-  
 vis eum vires paulatim deficerent, non  
 cessabat compellare, quantum poterat,  
 Sanctos illos, quibus erat addictissimus,  
 præcipue SS. Dionysium & Genovesam.  
 Se proximum morti sentiens in lectulo  
 cineribus strato collocari voluit, in quo  
 decussatis supra pectus brachiis, oculis ad  
 cælum versis spiritum Deo reddidit sub  
 horam tertiam pomeridianam die lunæ  
 25 Aug. anno Christi 1270, ætatis suæ  
 56, regiminis 44.

*Duchesne*  
p. 393. 463.  
*Foinv.*  
p. 128.

*Duchesne*  
p. 474.

*Spicil.*  
p. 559.

*Histor. Eccles. Tom. XXI. Nn §. X.*



Sæcul. XIII.  
A C. 1270.

§. X.

*Sacræ crucis exercitus redit.*

p. 464. 516.

Vix expiraverat, cum adveniens in castra Siciliæ Rex Carolus afflictas copias præsentia constantiaque sua erexit. S. Regis corpus in membra sectum, hæc in aquis cocta, separatæ carnes, ossa conservata sunt ex more illius seculi. Rex Carolus cor, viscera, & carnes petiit, ac postea in Abbatia Montis Regalis prope Panormum humari iussit. Ossa cistæ immissa sunt, in Galliam deferenda. Proceres omnes jurisjurandi religione fidelitatem suam novo Franciæ Regi Philippo obstrinxere, cui dein cognomen Audacis est additum: habebat annos viginti quinque, ac quindecim regnavit.

Duchesne  
p. 521.

522.

Commisæ sunt denuo aliquot pugnae, in quibus victores Galli Tunetum capere potuissent: sed satius esse putabant decem annorum inducias pangere, quæ 30 Octobris fiebant his conditionibus. Franciæ Regi ac Baronibus compensabuntur omnes sumptus itineris. Tuneti portus gratis patebit commercio, cum antea negotiatores decimam eorum, quæ advenxerant, partem dependissent. Rex Tunetanus Regi Siciliæ tributum annuum quod antecessores ejus tulerant, dabit. Cunctos Christianos e carcere ac servitu-



te dimittet, eisque liberum religionis exercitium concedet. Nempe Tuneti dabatur cœnobium Ord. S. Dominici, & magna Christianorum multitudo, qui Saracenorum mancipia erant, & in templa quotidie se congregabant. Rex autem omnes in vincula conjici jusserat comperto exercitus Gallici suas in terras adventu. Porro ita transactum est, ut Christianis deinceps in præcipuis regni Tunetani urbibus habitare, omnis generis bona etiam immobilia possidere, tributis excepto illo, quod Christiani libertate præditi solvere consuevissent, esse immunes, ibi templa, in quibus Evangelium palam explicaretur, condere, & baptismum accipere liceret iis, qui vellent.

Eduardus Angliæ Regis filius natu major cum Edmundo fratre suo, numeroque nobilium pro terra sacra pugilum advenit, cum illa pacta vix jam confecta essent. Quæ gravissime ferens, ad Gallos, Num crucem induimus, ajebat, & huc convenimus, ut cum ethnicis pacifceremur? Absit longissime! Iter Hierosolymam apertum & facile nobis est. Illi reponerant: Haud possumus a pactione recedere: redeamus in Siciliam! & tracta hyeme Ptolemaidem ire poterimus. Displicuit Eduardo hæc sententia: nec particeps esse voluit pactionis aut ethnicorum pecuniæ, quam detestabilem reputabat:

N n 2

putabat:

Sæcul. XIII.

A. C. 1270.

Spicil. to. 2.

p. 562.

to. 11. p. 560.

Knyght.

1456.



Sæcul. XIII. putabat : sed Gallis Principibus magno  
 A.C. 1270. acceptis convivio, in suo se tentorio con-  
 tinebat. Sequi tamen eos in Siciliam,  
 & hyemem ibi agere cogebatur.

*Duchesne*  
 p. 522.  
*Spicil. t. 2.*  
 p. 565.

Classis Gallica die Veneris 21 No-  
 vembris Drepanum attigit, ubi tempesta-  
 te horribili concussa naves plurimas, ac  
 vectores quater mille circiter amisit. Sic  
 puniisse Deus neglectum in Palæstinam  
 iter visus est Anglis. Porro novus Rex  
 Philippus in Franciam reverti statuerat,  
 quia morbi copias attenuaverant nimis  
 quam ut eas in novam expeditionem e-  
 duceret; ac Legatus, qui easdem in ter-  
 ram sacram comitaretur, deerat: maxi-  
 me vero illum, ut id consilium caperet, im-  
 pulerant litteræ amborum regni Admini-  
 stratorum Matthæi Abbatis ad S. Diony-  
 sium & Simonis Neellæ Domini reditum  
 urgentium. Die Martis 25 Novembris  
 D. Catharinæ sacro Reges ac Proceres  
 qui Drepani erant, congregati jurejuran-  
 do se adstringebant, ut post triennium die  
 S. Mariæ Magdalænæ, scilicet 22 Julii an-  
 1274 ad petendam terram sacram parati  
 eodem in portu comparerent, exceptis il-  
 lis, qui haberent excusationem a Rege  
 Franciæ approbatam. Hunc Principem  
 quindecim porro dies hæerere Drepani co-  
 gebat morbus Theobaldi Navarræ Regis  
 affinis sui, qui die lunæ 4 Decembris vi-  
 tam ibi posuit. Philippus suum iter ter-  
 ra



ra prosequens transmissio Messanæ freto Sacul. XIII.  
 Italiam peragrabat. A.C. 1270.

§. XI.

*Errores Parisiis condemnati.*

Parisiis multos errores, quos aliqui Phi-  
 losophiæ ac Theologiæ Professores  
 in suis docebant scholis, damnavit Epis-  
 copus Stephanus Temperius. Illi sic so-  
 nabant. Intelligentia est eadem cunctis  
 in hominibus. Voluntas humana agit  
 ex necessitate. Quæcunque hic inferius  
 fiunt, cælestibus e corporibus necessario  
 pendent. Mundus semper, primus ho-  
 mo nunquam fuit. Anima, cum sit for-  
 ma hominis, una cum corpore corrup-  
 pitur. Anima a corpore disjuncta ignis  
 corporei vim non sentit. Liberum arbi-  
 trium est animi proprietas, quæ non agit,  
 sed patitur, & ab objecta sibi re desidera-  
 bili non potest non moveri. Deus haud co-  
 gnoscit singularia, immo nihil præter-  
 quam seipsum. Actiones humanas non  
 regit divina providentia. Deus a morte  
 & corruptione tueri nequit, quod huic aut  
 illi est obnoxium. Episcopus, cum Do-  
 ctiores multos convocasset, de eorum con-  
 silio cunctos errores illos condemnavit  
 die Mercurii ante festum S. Nicolai nem-  
 pe tertio Decembris anno 1270. Hic  
 cernimus, qua de causa S. Thomas cæ-

*Duboulai*  
*to. 3. p. 93. 7.*  
*Bibl. pp.*  
*Paris. to. 4.*  
*p. 1143.*

Nn 3 terique



Sæcul. XIII.  
A. C. 1271.

terique illius temporis Doctores multas quæstiones agitaverint, quæ hodie non viderentur dignæ, ut afferrentur in medium.

## §. XII.

*Regis Philippi reditus.*

*Duch. p. 524.* **R**ex Franciæ Philippus in suo per Italiam itinere Romam delatus ad Apostolorum sepulchra pietatem explevit suam. Inde Viterbium venit, ubi Romana curia seu Cardinales vacante Sede sacra residebant. Cumque de cooptando capite non consentirent, urbis Prætor, ut eos ad electionem compelleret, cuiusdam palatio tenebat inclusos. Rex magna illos veneratione invisit, ac per osculum pacis salutavit singulos. Comes habebat Regem Siciliæ suum patrum, multosque Proceres. Omnes Cardinalibus instabant, ut Ecclesiæ celeriter pastorem darent; sic ad duos Galliæ Rectores 14 Martii an. 1271 Rex Philippus scripsit. Qui continuato per Hetruriam, Lombardiamque, ac Sabaudiam itinere Parisios prospere advenit.

*Spicil. 2.*  
*p. 571.*

Tunc, cum Viterbii esset, etiam Henricus Angliæ Regis nepos, Richardique electi Romanorum Regis filius ibi agebat. Eodem tempore aderat Guido Montefortius filius Simonis Lecestriæ Comitis in civili



civili bello, suafore, ut ajebant, Henrico <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 necati. Hunc in templo S. Laurentii di- <sup>A. C. 1271.</sup>  
 vino præsentem sacrificio Guido vindi-  
 ctam spirans ex improvise pugionis icti-  
 bus peremit nec loci vel fontibus præ-  
 bentis perfugium, nec temporis sacri (ver-  
 num jejunium tunc colebatur) nec cru-  
 cis, quam alter peregrinantium more ge-  
 rebat; rationem ducens. Dein ad He-  
 truriæ Comitem socerum confugit suum.  
 At illa res consecutiones habuit.

§. XIII.

*S. Ludovici exequiæ.*

**R**ex Philippus Parisios delatus, quas se-  
 cum attulerat, sandapilas Regii pa-  
 rentis sui, Comitis Niverini sui fratris, ac  
 Reginae Isabellæ conjugis suæ Consen-  
 tiæ in Calabria mortuæ ossa continentes  
 in templum Dominæ Nostræ portari jus-  
 sit. Per noctem totam chori plures offi-  
 cium pro illis grandia plurimaque inter  
 luminaria alternis decantabant. Poste-  
 ro die Veneris ante Pentecosten 22 Maji  
 sandapilæ Dionysiopolim deferebantur.  
 Omnes Religiosi Parisienses instructo or-  
 dine præibant: sequebatur Rex cum ma-  
 gno Procerum Præfulumque numero, &  
 ingente populi multitudine: nemo non  
 incedebat pedes: atque Rex sui patris  
 N n 4                      ossa

p. 465.



Sæcul XIII.  
A.C. 1271.

p. 526.

p. 475.

ossa humeris gestabat. Dionysiani monachi fericis induti trabeis, ac suum quisque cereum tenentes manu, canentesque mille passus obviam ierant. Sed cum ad ædem sacram ventum est, oclufæ erant portæ ob Archiepiscopum Senonensem ac Episcopum Parisinum, qui pontificio insignes cultu aderant. Nam monachi metuebant, ne Præsules, si sic ornati templum intrarent, ex hoc actu publico consecutiones deducerent plenæ ipsorum immunitati noxias. Igitur extra fines jurisdictionis Abbatiae egredi debebant, & pontificia ornamenta deponere, Rege interim omnibus cum Proceribus Præsulibusque foris expectante. Matthæum Abbatem Dionysianum modo regnum administrasse meminere. Reclusæ demum portæ, comitatus funeris ingressus templum, cantatum pro vita functis officium, res divina solenni peracta ritu, sancti Regis reliquiae prope ossa Ludovici patris, avique Philippi Augusti positæ sunt in sepulchro saxeo, cui deinde obductus fuit exquisiti operis tumulus auro argentoque magnifice decorus: ubi multa mox miracula fiebant Abbatis Dionysiani jussu fideliter conscripta.



§. XIV.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1271.

*Mors Alphonfi Comitis Tolofani.*

**P**aucis post diebus in templum S. Dionysii delatum est corpus Alphonfi Comitis Pictaviensis, qui, cum S. Ludovicum fratrem suum in transmarino itinere comitatus esset, Tuneto redux Castri Novi in Hebraria e vita demigraverat. Quem post aliquot dies secuta conjux sua Joanna nulla relicta sobole comitatum Tolosanum, cujus hæres fuerat, Coronæ Gallicæ restituit ex pactione anno 1229. Parisiis inita. Summus Carcaffonæ Prætor illius possessionem Regis Philippi nomine occupavit: Tolosamque profectus, consules ei jurare fidem jussit 16 Sept. eodem anno 1271. coram multis testibus, quorum primus erat Bertrandus Episcopus Tolosanus. Cum Episcopus Raymundus Ord. Præd. anno prioris, sui pontificatus trigesimo nono, 29 Octobris decessisset, Canonici una omnes voce successorem cooptarunt Bertrandum Ecclesiæ Tolosanæ Præpositum, qui Patrem habebat Insulæ Jordani Dominum. Electio Narbone confirmata; Bertrandus in Sacerdotem 20 Dec. in Episcopum postero die S. Thomæ consecratus est.

p. 526.  
Chr. G. de  
Pod. Laur.

c. 51.  
Sup. l. 79.  
§. 50.

Ann. de Tou-  
louze p. 2. 3.

Gall. Chr.  
p. 688.

N n 5

§. XV.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1271.

§. XV.

*Eduardus in Palæstina.*

*Sanct. p.*  
224.

*Knyght. p.*  
2457.

*Sanct. p.*  
223.

*V. Rat.*  
*temp. p. 2.*  
*l. 3. c. 13.*

Eduardus Anglorum Regis filius nato major transacta in Sicilia hyeme, marinum in Palæstinam iter ingressus, 9 Maji an. 1271. Ptolemaidis portum attingit cum mille viris delectis. Ibi mensam traduxit, ut & suos reficeret, & statum regionis perquireret, ubi Bondocdarus Sultanus Ægyptius magnos per triennium progressus fecerat. Septimo Martii 1268. Joppe induciarum tempore per prodicionem capta, cum inopes necessit, reliquis expilatis præsidium dedit. Quinto decimo Aprilis castro Bellofortio potitus contra Tripolim, cujus hortos evertit, tum contra Antiochiam movit: quam 29 Maji sine pugna nactus, occis septendecim millibus hominum, supra centies mille mancipia abduxit ita, ut grandis hæc urbs deserta maneret, nec postea incolis frequentaretur. Mille quingentos octoginta circiter annos steterat. Hoc anno 1271. 18 Febr. Bondocdarus arcem Cracam ad Hospitalarios pertinentem obsidere coepit; qui 8 Aprilis eam dedere cogebantur. Dein cum Comite Tripolitano inducias pactus, Monfortio, quod Germanorum erat, subacto dirutoque, ad Ptolemaidem copias admovit.

Eduar-



Eduardus mensis spatio quieti dato, *Sæcul.XIII.*  
 septies mille circiter Christianos ducens, *A.C.1271.*  
 edomito Nazaretho peremit incolas. Sic  
 excursus plures per sesquiannum, quem  
 Ptolemaide agebat, fecit; at sine ma-  
 gno effectu. Eodem tempore ibidem  
 erat Rex Hierosolymitanus Hugo III.  
 Henrici Pictaviensis Antiochiæ Principis  
 & Isabellæ Lusiniacensis filius ac succes-  
 sor Hugonis II. cognati sui, qui quatuor- *Lign.d. Ou-*  
 decim annos habens mense Novembri *trem. p. 360.*  
 an. 1267. diem obierat. Hugo III. jam  
 erat Rex Cypri, & 24. Sept. an. 1269.  
 Tyri se in Regem Hierosolymitanum co-  
 ronari curaverat. Hunc titulum annis  
 14 ac dimidio gessit.

§. XVI.

*Gregorius X. Papa.*

Illo ipso tempore Ptolemaidem pietatis *Rayn. 1271.*  
 causa advenerat Theobaldus Archi- *n. 7.*  
 diaconus Leodiensis sacra obiturus loca,  
 cum se in Papam electum esse ibi com-  
 perit. Nam præsentibus Viterbii quinde- *t. II. Conc.*  
 cim Cardinales denique per compromif- *p. 925.*  
 sum sex e suo numero Papam cooptandi  
 facultate impertierant: & illi sex 1. Sept.  
 an. 1271. Archidiaconum Theobaldum  
 concordibus designarant suffragiis. Ex  
 Visconti Pro-Comitum familia Placentiæ  
 natus, primum Canonicus Lugdunensis,  
 dein-



Sæcul. XIII.

A. C. 1272.

Rayn. n. 14.

Sanut. p.  
225.

Pj. 136.

Papebr. co-  
nat.Rayn. 1272.  
n. 2.

deinde Leodiensis Archidiaconus sub Episcopo Henrico Geldro fuerat. Litteris parum, sed negotiorum secularium experientia permultum valebat, erogandæ stipis, quam pecuniæ coacervandæ amantior. Apostolica Sedes duobus annis, & novem mensibus vacaverat. Cardinales mox decretum Theobaldo cum epistola miserunt, in qua inter electionis suæ incitamenta terræ sacræ necessitatum notitiam, quam per se ipsum haberet, memorabant, & ut protinus veniret, obtestabantur: Rei nuncius Palestinæ Christianos ingenti affectit gaudio, illum magnas sibi suppetias missurum sperantes. Et ipse jam itineri accinctus hæc e psalmo verba Ptolemaide dixit: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivietur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui!*

In sui electionem 27 Octobris confestim, quo suum pontificatum inchoasse censetur: ac Gregorius X. nuncupari voluit. Conscensa nave in portum Brundusianum invecus est 1. Januarii anno 1272. Etiamnum in terris Siciliæ Regis versans, amplissimam Romanorum legationem audiit, ut confestim Romam adiret, orantium. Sed cogitabat, ibi se posse aliis rebus implicari, quæ se a terræ sacræ negotio averterent, cui primas curas suas impendere volebat. Itaque



Itaque recta Viterbium profectus, ubi Sæc. XIII.  
 Cardinales ac Romana Curia residebant, A.C. 1272.

10. Febr. eo advenit. Illic post tantum  
 iter nullum quieti spatium tribuens, aliis  
 negotiis omnibus occlusa janua, per octo  
 dies animum habebat defixum in  
 subsidio Palæstinæ ferendo, quam ad ul-  
 tima deductam reliquerat. Pisanos, Ge-  
 nuenses, Massilienses ac Venetos, ut  
 tres quique triremes armatas, omnino  
 duodecim mitterent, induxit, ac belli  
 sumptibus succurrendi gratia jussit colligi  
 legata pia hunc ad finem destinata, quæ  
 grandia erant. Cardinalis Rodolphus  
 Episcopus Albanensis ante Tunetum de-  
 mortuus auri uncias mille, ac octies mil-  
 le Richardus electus Romanorum Rex  
 reliquerat. Notandum vero, unciam  
 auri valuisse quinquaginta solidos Turo-  
 nenses, qui viginti quinque nostræ mo-  
 netæ libras conficiebant. Richardus  
 anno priore 2 Aprilis morti occubue-  
 rat.

n. 4.

*Spicil. t. 2.*  
*p. 563.*

Papa Gregorius in Franciam Archie-  
 piscopum Corinthium misit cum litteris  
 ad Regem Philippum, in quibus ait:  
 Cum in terra sacra essemus, cum Ducibus  
 Christiani exercitus, cum Templariis,  
 Hospitalariis, ac regionis Proceribus  
 ultimam ab ea perniciem propulsan-  
 di modos tractavimus. Postea etiam  
 cum Fratribus nostris Cardinalibus ea su-  
 per

*M. P. p. 859.*  
*Rayn. n. 5.*



Sæcul. XIII.

A.C. 1272.

n. 7. 8.

n. 9.

*Papebr. con-*  
*nat.**Rayn. n. 21.**to. II. Conc.**p. 9. 29.*

per re collocuti vidimus illuc certum copiarum triremiumque numerum modo mittendum, ac expectandum majus esse subsidium, quod nos illi per generale concilium obtenturos speramus. Dabat 4 Martii an. 1272. & quia nondum consecratus fuerat, ejus nomen in litteris seu sigillo ex iis pendente non erat. Templarii jubebantur terras, quas in Gallia possiderent, Philippo Regi oppignorare in securitatem pecuniæ, quam repræsentaret usque ad viginti quinque argenti selibrarum millia. Reapse Rex ea dedit mutua, paratus per se ipsam Palæstinæ suppetias ire, nisi Papa eum rogasset, ut rem differret, donec apparatus expeditionis absoluti essent.

Gregorius Romæ consecratus fuit 17 Martii die, quæ hoc anno 1272. tertia jejunii verni Dominica erat: ac biduo post exarari epistolam jussit ad omnes Episcopos circummittendam, qua de ipsius consecratione pro more edocerentur. Illam brevi sequebatur alia Episcopos ad concilium generale convocans. Papa tres hujus causas præcipuas memorabat, schisma Græcorum, tristem terræ sacræ statum, cujus ipse testis oculatus esset, vitia & errores in Ecclesia multiplicatos. Cupientes igitur, ait, tot malis commune per consilium mede-  
ti, præcipimus, ut 1. Maji anno 1274  
com-



compareatis in loco, quem conveniente Sæcul. XIII.  
 tempore vobis indicabimus. Volumus A. C. 1272.  
 in quavis provincia unum vel duos Epi-  
 scopos manere ad exercendas functiones  
 Pontificias, & ab iis, qui permanferint,  
 sicut etiam a Senatibus Ecclesiarum tam  
 Cathedralium, quam illarum, quas Col-  
 legiales vocant, Oratores ad concilium  
 mitti. Examinabitis interim ea, quæ  
 corrigenda sunt, scriptisque mandabitis,  
 ut ad concilium afferatis. Dabat postre-  
 mo Martii an. 1272.

## §. XVII.

*Thomas Patriarcha Hierosolymi-  
tanus.*

Papa Gregorius, ut spiritualium Palæ-  
 stinæ rerum curam gereret, Patriar- Ughel. t. 9.  
 chæ Hierosolymitani titulo impertiit Fra- p. 299.  
 trem Thomam Leontinum Siculum ex  
 Ordine Prædicatorum, Bethleheмо, cu-  
 jus Episcopus fuerat, an. 1267. Con-  
 sentiam in Italia sitam a Clemente IV.  
 translatum. Ad Sedem Messanensem  
 post obitum Bartholomæi Pignatelli Ca-  
 nonicorum suffragiis vocatus erat: sed  
 Papa dissentiens illum 21 Apr. an. 1272.  
 Patriarcham Hierosolymitanum creavit.  
 Etiam Episcopatum Ptolemaidis admini- Papebr. to.  
 strandum ei commisit jam ab Urbano IV. 14. p. 58.  
 conjunctum cum Patriarchatu Hieroso-  
 lymi-



Sæcul XIII.

A. C. 1272.*Rayn. n. 17.*

lymitano, cujus proventus ethnici possidebant. Hanc ad sedem Gregorius Thomam elegit tanquam virum singularibus præditum meritis, & magna rerum Palæstinæ notitia tum temporis capta, cum Bethlehem Episcopus, & Apostolica Sedis Legatus esset. Eum pariter suum esse Legatum in Armenia, Cypro, principatu Antiocheno, vicinis insulis, totaque Orientis ora maritima voluit: & ante omnia illi commendavit, ut mores Latinorum his in provinciis Christianorum corrigere conaretur. Vide, quomodo illi loquatur in quadam ex epistolis suis! Scis per te ipsum atrociam criminam ibi committi solita, miseraque voluptatis mancipia in libidines effusa Antiochiæ totque aliis locis hostium furore dirutis iram Dei accivisse. Stupenda res est, fratres nostros his exemplis tam perurum esse commotos, ut nulla scelerum suorum pœnitentia ducti eodem in cœno se volutare pergant, donec & ipsi intereant.

*Ughel. p. 297.**Sanut. p.*

215.

*Rayn. n. 17.*

Anteqam Patriarcha Thomas Terram sacram peteret, Papa pecunias in hujus emolumentum sibi a Rege Galliæ missas illi tradidit, præcepitque, ut in transitu Siciliæ Regem adiret, & quanam ratione illis utendum esset, cum eo consultaret. Patriarcha quingentos tum equites tum pedites Ecclesiæ stipendiis mili-



militantes in Palæstinam secum addu- Sæcul XIII.  
cens commodissime advenit, ut incolis A.C. 1272.  
Richardi Angli abitu pæne ad despera-  
tionem adactis solatia & animos affer-  
ret.

Propius nihil factum est, quam ut hic *H. Knygt.*  
Princeps Ptolemaide sicarii periret ma- *p. 1417.*  
nu, qui se in familiaritatem ejus insinua- *M. Paris*  
verat crebras ipsi apportando litteras cu- *p. 859.*  
jusdam Emiri seu Principis a Mahomete  
oriundi ac pleno jure imperantis, qui se  
fieri Christianum velle simulabat. De-  
mum die Jovis intra octavam Penteco-  
16 Junii an. 1272 sicarius venenato Ri-  
chardum cultro percussit; & illico qui-  
dem obtruncabatur: sed Richardus æ-  
gerrime curatus est: atque suppetias si-  
bi a Tartaris æque ac Christianis pro-  
missas a se frustra expectari videns, in-  
itis cum Bondocdaro decem annorum indu-  
ciis 22 Sept. Ptolemaide in Angliam *Sanut. p.*  
abiit, copias de suis viventes stipendiis *225.*  
illic relinquens.

§. XVIII.

*Palæologi cum Papa negotium.*

Imperator Michael Palæologus, ne a  
Rege Siciliæ Carolo impugnaretur,  
nunquamnon metuens, eodem, quo se  
ad sustinendum bellum præparabat, tem-  
pore crebras ad Aulam Romanam Lega-  
*Hist. Eccles. Tom. XXI.*      O o      tio-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1272.

*Pachm. lib.*  
5. c. 10.

c. 11.

tiones mari mittere eo minus cessabat, quo sæpius mors summos mutabat Pontifices. Legationum scopus erat Ecclesiarum reconciliatio: cui dandam simul ad operam Josephum Patriarcham ac Episcopos adducere conabatur Michael. At illi eum non nisi obsequii causa & oscitanter audiebant. Quamvis enim aperte obistere ipsi & contradicere non auderent, credebant tamen, Ecclesiam suam in libertate summa & autoritate, qua polleret, mansuram extra periculum subeundi jurisdictionem Latinorum, quos esse mercatores & artifices putabant. Cogitabant, hoc Imperatoris consilium momento temporis haud posse perfici, sed eventurum sicut tot alia Imperatorum antecedentium experimenta, quæ propter obstacula supervenientia caruissent effectu: vel, si negotium haberet prosperum successum aliquem, schisma non ideo cessaturum. Fratres tamen Mendicantes, cæterosque Italos tanquam Christianos amice tractabant, nec ullam cum eis disputationem suscipiebant.

Postquam Gregorius in Papam electus fuerat, Imperator Michael per famam comperit, illum esse hominem virtute præditum ac Ecclesias reconciliandi studiosissimum. Et Gregorius e Syria redux per Fratres Mendicantes suis eum verbis humanissime, salutari voluit ac edoceri



doceri sui electionem, ardensque suum Sæcul.XIII.  
reconciliationis desiderium, atque si eam A.C.1272.  
Imperator quoque cuperet, pulcherri-  
mam ejus occasionem sub se summo Pon-  
tifice dari. Græci autem persuasum sibi  
habebant, Michaellem non quærere pa-  
cem nisi Regis Siciliae metu; ac Grego-  
rium eam bona fide desiderare. Et ve-  
ro jam inde ab initio pontificatus sui il-  
lam cogitaverat: ut ipse in epistola post-  
hæc ad Michaellem scripta indicat: eum-  
que ad concilium illo tempore, quo id  
convocabat, per Nuncios ac litteras in-  
vitare statuit. Sed de consilio Cardina-  
lium Michaelis responsum ad ultimas  
Papæ Clementis IV. litteras expectavit,  
ut suos Nuncios melius informatos mit-  
teret.

to. II. Conc.  
p. 942.  
Rayn. 1227.  
n. 25.

Revera Imperator Michael quendam *Fach. p.252.*  
Fratrem Ord. Minorum nomine Joannem  
Parastronium, origine Græcum misit lin-  
guæ peritissimum, ac reconciliationis  
studio incensum, de qua cum Patriarcha  
& Episcopis sæpe colloquens, se cere-  
monias ritusque Græcos magni facere  
significabat. Hic Papæ litteras Impera-  
toris attulit, in quibus dicebat se speras-  
se, Papam relicta Syria venturum Con-  
stantinopolim: futurum fuisse, ut ibi de-  
bito honore ac reverentia exciperetur:  
ejusque præsentiam ad promovendam  
reconciliationem magnum momentum  
fuisse



Sæcul. XIII.  
A.C. 1272.

Vading.  
1272. n. 3.

Sup. l. 85.  
§. 17. 55.

Conc. p. 948.  
Vading.  
1272. n. 7.  
Etc.

fuisse habituram. Papa hac epistola magnopere gaudens, quatuor alios Fratres Minores, Hieronymum Asculanum (qui postea Papa Nicolaus IV. fuit) Raymundum Berengarium, Bongratium de Fano S. Joannis, (qui dein Ordinis Minister Generalis evasit) ac Bonaventuram Mugellanum ad Imperatorem misit cum epistola, in qua ait: Reconciliatio ex designatione summorum Pontificum Urbani ac Clementis inchoanda est per consensum fidei secundum formulam ab iis missam. Qui si factus fuerit, orat Imperatorem, ut ad concilium cum reliquis Principibus catholicis veniat, vel magnæ autoritatis Legatos eo mittat, remittatque breves hos quatuor Nuncios, ut ante celebrationem concilii ad præparandam ejus materiam satis mature adesse in Italia queant. Dabat 24 Octobris an. 1272.

Papa etiam Josepho Patriarchæ Constantinopolitano scripsit, ut ad reconciliationem operam conferret suam, & ipse adiret concilium. Nunciis informationem tradidit, quæ profitendæ fidei & Papæ primatus agnoscendi formam continebat, quam Imperator ac Ecclesiæ Græcæ Præsules sequi deberent ac mittere. Impertit etiam Nunciis auctoritatem ad fidei publicæ testes litteras imperatoriis, qui ad concilium venirent Legatis dandas. Denique illis commenda-



datitias præbuit litteras ad cunctos Præ-  
 fules, Principesque, per quorum terras Sæcul.XIII.  
 A.C.1272.  
 tranfrent, ac fingulares quidem ad Re-  
 gem Siciliæ Carolum, quem rogabat, ut  
 Imperatoris Græci Legatos præstaret  
 tutos.

§. XIX.

*Henricus III. Angliæ Rex moritur,  
 cui succedit Eduardus.*

In Anglia cives Norvicenses cum mo-  
 nachis jurgati incenso templo cathe-  
 drali, libros, supellectilem argenteam, M. Par. p.  
 860. t.8. Spi-  
 cil. p.626.  
 & quidquid ignis reliquerat, usque ad  
 aureum vas augustissimi Sacramenti ante  
 aram principem suspensum abstulerant.  
 Rex Henricus tantam audaciam indi-  
 gnatus Norvicum præmisit Thomam Tri-  
 vetum Equitem juri dicendo præpositum,  
 patrem Nicolai, cujus chronica habe-  
 mus. Ipse dein delatus in locum, ma-  
 xime fontes ad patibulum, cives reliquos  
 ad templum reædificandum damnavit.  
 Londinum rediturus erat, cum ad Abba-  
 tiam S. Edmundi Regis advectum mor-  
 bus gravis corripuit, e quo non evasit.  
 Regionis Proceres ac Episcopi veniebant,  
 ut ejus morti assisterent. Ille inter ma-  
 gna poenitentiae specimina Sacramentis M. West-  
 mon. p.401.  
 morientium omnibus susceptis obiit die  
 S. Edmundi Cantuariensis 16. Nov. an.



Sæcul. XIII.

A.C. 1272

Christi 1272. ætatis suæ 65. regiminis 56. Cadaver ejus Londinum delatum, & Westmonasterii solenniter sepultum est, Illius temporis Scriptorum laudant pietatem hujus Principis: qui, ut perhibent, tribus quotidie sacris solennibus, ac pluribus privatis interfuit; & S. Ludovico crebriorem ad conciones præsentiam pluris facienti reposuit: Malo sæpe amicum videre meum, quam audire, quidquid boni de illo dicatur. Extollitur ejus innocens vita & patientia: demum miracula mortuo tribuuntur. Sed vidisti, quantum abfuerit, ut virtutes Regi necessarias, justitiam & constantiam haberet. Vidisti vexationes, quas Episcopis sanctis intulit, violentias, quas adhibuit, ut mali eligerentur, ac imbecillitatem regiminis, quæ subditorum odium, atque seditionem apertam in eum concitavit.

Postridie exequias Præsules Proceresque Londini novo in templo Regi Eduardo fidem jurabant, qui ex suo itinere transmarino necdum revererat. Præfulum Princeps erat Robertus novus Archiepiscopus Cantuariensis. Nam Bonifacius Sabaudus vitam amiserat .i. Aug. an. 1270, postquam insignem hanc sedem viginti novem annis tenuerat. Monachi in Archiepiscopum elegerant Guilielmum Chillindenium Priorem, ut vo-

*Godvin. p.*

137.

*Matth. Par.*

p. 860.

cant,



cant, suum. Sed Papa Gregorius abrogata electione illi Ecclesiæ præfecit Robertum Kiluarbium Dominicanum, qui, antequam sacræ familiæ nomen daret, Parisiis artes docens, de Grammatica, Logicaque libros composuerat. Post ingressum Ordinis litteras divinas & SS. Patres, præcipue Augustinum in archetypis studiose legit: hoc est, ut opinor: haud contentus erat excerpta ex illis dicta in Magistro Sententiarum & in Gratiano habere. Undecim annis Magistrum Ordinis Generalem egerat, cum Papa ei Archiepiscopatum Cantuariensem detulit cum copia eligendi, quem vellet, Episcopum ad sui consecrationem. Elegit Guilielmum Episcopum Bathensem sanctitatis fama conspicuum, a quo præsentibus undecim Suffraganeis suis Cantuariæ initiatus est prima jejunii verni Dominica 13 Martii an. 1272.

## §. XX.

*S. Thomas Herfordiensis.*

Post Regis Henrici obitum Cancellarius ejus Thomas Chantelupius reliquit aulam. In Anglia nobili natus genere, a puero magnæ pietatis indicia ediderat. Litteris humanioribus Oxonii, philosophiæ Parisiis operam dedit, & Artium Magistri gradum obtinuit. Oxonium reversus Doctorem Juris Canonici, & Uni-



Sæcul. XIII. A.C. 1272. verfitatis Cancellarium egit, ita, ut vi-  
ri fama permotus Rex eum tabulario

sanctiori præficeret. Morum puritatem, quam semper coluerat, hoc in munere conservans, summa integritate jus dicebat, nec divitum gratia tactus, nec debilitatem inopum spernens. Extincto Rege Oxonii Theologiæ studium tradens suum etiam hujus facultatis Doctor est habitus. Interim virtutis in stadio semper procedebat, parcissime vivens, calumniarum hostis, corpus animamque servans purissimam. An. 1275. vacantis

*Goduin. p. 530.*

Ecclesiæ Herfordiensis Episcopus electus 8. Sept. eodem anno consecratus fuit. Probitas ejus non damnum ex dignitate, sed incrementum cepit. Verum aliqua Ecclesiæ suæ jura defensum profectus Romam, & a Papa Martino IV. voti compos factus, in reditu prope Montem Flascenis mortem oppetiit. Inter cælestes postea relatum Ecclesia 2. Oct. colit.

*Mart. Rom.*

### §. XXI.

#### *Regis Eduardi reditus.*

Rex Eduardus e Palæstina redux in Siciliam advenit, ubi honorifice acceptus a Rege Carolo aliquamdiu subsistebat vires reficiendi gratia. Posthæc comperto ibidem regii parentis sui obitu

*Matth. West. mon. p. 402. Tri-vel. p. 630.*



iter persequens Urbem Veterem, ubi Pa-  
 pa Gregorius cum sua curia residebat, Sæcul. XIII.  
 A. C. 1273.  
 petiit. Cardinales omnes obviam venie-  
 bant duobus Regibus: nam Carolus E-  
 duardum eo deducebat, & hic Papæ,  
 quicum amicitiam in Palæstina contra-  
 xerat, tristem ejus statum exposuit.  
 Dein ab eo poposcit justitiam ob Henri-  
 cum Germanicum patruelem suum Viter-  
 bii an. 1271. verni jejunii tempore a  
 Guidone Monfortio necatum. Hunc Sup. §. 12.  
 Rahwaldus  
 12273. n. 22.  
 quidem jam proscripserat Papa, ejusque  
 focero Comiti Aldebrandino Rufo cædis  
 participi diem dixerat. Tum vero in-  
 stante Rege Eduardo in Guidonem Mon-  
 fortium hanc alteram tulit sententiam.  
 Nos eum proscribimus, & cuilibet ca-  
 piendum, non tamen occidendum ex-  
 ponimus aut mutilandum. Præcipimus  
 cunctis provinciarum locorumque Recto-  
 ribus, ut manus in eum injiciant, no-  
 stramque ad curiam eum adducant: &  
 loca omnia, in quæ veniet, præterquam  
 illum, in quo comprehendetur, interdi-  
 cto afficimus. Vetamus, nequis homi-  
 num, nequa societas eum recipiat, ad  
 munus aliquod admittat, vel adjuvet,  
 aut ullum cum eo commercium habeat.  
 Denique, quotquot forsitan clientes be-  
 neficiarios subditosque numerat, a fide  
 illi jurata absolvimus. Actum 1. Apr. an.  
 1273.



Sæcu'. XIII.

A. C. 1273.

Rayn. n. 1.

Paucis post diebus Papa omnes Archiepiscopos epistolam circummisit, in qua concilii generalis locum denominat dicitque, suæ dignitati convenientius sibi & Cardinalibus commodius fore si Romæ illud celebraretur. Sed quod potissimum de auxilio terræ sacræ ferendo ageretur, Principibusque ac Præsulibus, qui plurimum eo contribuere possent, facilius trans montes convenirent, se Lugdunum elegisse. Dabat 13 Apr. Etiam Reges ac Principes Christianos inter alios Alphonsum Castellæ, Philippum Franciæ, Armeniæque Reges, atque ipsos Tartaros ad concilium invitavit, rogavitque Armenorum Regem, ut integra concilii Nicæni acta, quæ in lingua sua tenere se perhiberet, ipsi mitteret.

## §. XXII.

*Rex Lusitaniæ officii sui commonetur a Papa.*

Authoritas Papæ Innocentii IV. viginti septem abhinc annos fecerat, ut Alphonsus Lusitaniæ Rex hoc regnum loco Sanctii Capelli fratris sui gubernandum acciperet, de quo graves tum jactabantur querimoniæ. Sed non leviores de Alphonso movebantur, ut liquet ex quadam Papæ Gregorii epistola hunc in modum scripta. Libertas ecclesiastica est pro-

Sup. l. 82.

§. 12. 24.

Rayn. n. 25.



propugnaculum fidei: hæc civilis societatis vinculum est. Idcirco, dum hostis humani generis destruere regna cupit, ante omnia persuadet Principibus everisionem libertatis Ecclesiasticæ in rem ipsorum esse. Ut vero audivimus, contra jusjurandum, quo te ad illam conservandam adstrinxeras, Præsulibus omnique Clero intolerandas vexationes inferis. Occupasti ac retines proventus Ecclesiarum Bracarensis, Conimbricensis, Viseanæ ac Lamecensis: atque diversis Clericis privatis vel profanis hominibus domos & fundos, qui ad Ecclesias spectant, tribuis.

Tuorum Judicum quidam jurisdictionem alienam sibi vendicans, causarum ad ecclesiasticum tribunal pertinentium cognitionem capere audet: dumque Clerici ad sacram Sedem appellant, contumaces reputat, & vindiciarum petitores in possessionem mittit. Tu ipse Clericos in tua cæterorumque Judicum curiis de quavis causa respondere cogis. Tu subditis tam Clericis quam laicis eorumque fervis nova portoria novasque pensiones imperas canones ac censuras a sancta Sede latas despiciatui habens. Quando Judæi vel Saraceni liberæ conditionis ad baptismum veniunt, mox eorum bona fisco addicis, eosque in servitutem redigis. Saracena Judæorum mancipia fa-

cro

Sæcul.XIII.

A.C.1273.



Sæcul. XIII. A. C. 1273. cro fonte lustrata veterum dominorum jugo subjcis. Cum Saraceni aut Judæi Christianorum hæreditates obtinent, non permittis, ut paroeciæ, in quibus hæc bona sita sunt, eorum decimas exigant. Dabat Urbe Veteri 28 Maji an. 1273. At hæ litteræ magnum effectum non habuerunt: ut postea constabit.

## §. XXIII.

*Papa Florentiæ agit.*

*Ricord. Ma-* Post modicum tempus Papa Urbe Veteri Lugdunum proficiscens 18 Junii  
*lesp. c. 198.* Florentiam advenit, præter Cardinales  
*Gio. Villani.* aulæque suæ ministros habens itineris comi-  
*lib. 7. c. 63.* tates Carolum Siciliæ Regem, ac Bal-  
*Machiav. l. 2.* duinum Imperatoris Constantinopolitani  
*f. 39.* titulo etiamnum insignem, qui sub finem hujus anni vitæ curriculum confecit. Papa ob urbis situm, salubrem aërem, & aquas bellissimas ibi agere æstatem statuit, ac per commorationis suæ tempus in palatio divitis e Mozzorum familia mercatoris habitavit. Dolebat vero tam pulchram urbem in Gibellinorum Guelforumque factiones scissam. Guelfi viribus superiores multos civium tanquam Gibellinos in exilium egerant. Papa, ut isti revocarentur, reconciliabat animos partium, & 2 Julii ad ineundam pacem adduxit, ejus violatoribus talem imponens

*Rayn. n. 28.*



nens multam, ut decies mille selibras Sæcul. XIII.  
sterlingorum ipsi, & tantundem Regi Ca- A. C. 1273.  
rolo penderent. Fuere autem, qui Gi-  
bellinorum Oratoribus pacis jungendæ  
causa Florentiam delatis dicerent, Sicu-  
lum Hetruriæ præfectum illos, ni rece-  
derent, trucidaturum. Sic territi abie-  
re: ruptaque pax est. Offensus gravis-  
sime Papa Florentiam interdicto affectam  
post quatuor dies reliquit, & per totum  
pontificatus sui tempus non absolvit.

Ab anno priore Papa inter civitates Id. 1272.  
Italiæ pacem strenue procurans, hoc fine n. 40.  
Archiepiscopum Aquensem fecerat Lega-  
tum suum, eique hoc mandatum dede-  
rat. Quarumvis partium Oratores con-  
venientem in locum vocatos edocebis,  
ad celebrationem concilii a nobis indicti  
securitatem viarum præparandam esse  
per firmam pacem, vel saltem per indu-  
cias. Expones iisdem pericula spiritua-  
lia æque ac temporalia, jacturasque sua  
per diffidia factas, & in bellum civile si  
recidant, hoc ipsis perniciosius fore quam  
antea. Ideo præveniendum mature ma-  
lum esse, modicum seditiosorum pacem  
turbantium numerum aut leniter ad offi-  
cium reducendo, aut acriter castigando.  
Demum præcipit, ut contra illos, qui se  
paci opponerent, poenis utatur sacris.  
Verum exhortationes ac censuræ eccle-  
siasticæ haud magnopere movebant po-  
pulos



Sæcul. XIII. pulos a longo jam tempore sibi mutuo in-  
 A.C. 1273. fenfos. Hic Archiepiscopus Aquensis e-  
 \* Vicedomo rat e profapia \* Pro-Dominatorum, Pape  
 nepos Placentiæ natus, qui post mortem  
 conjugis, e qua liberos susceperat, ex ce-  
 lebri Jurisconsulto & Causidico factus  
 Clericus, primum Præpositus Grassensis,  
 tum Archiepiscopus Aquensis evasit an.  
 1257. Denique Ordinem Minorum in-  
 1273. n. 13. travit, incertum, quo tempore.

## §. XXIV.

*Beatus Ambrosius Senensis.*

Senas interdicto, quo a Papa Clemente  
 IV, cum pro Imperatore starent, an.  
 1266 mulctatæ fuerant, exsolutas in illud  
 recidisse declaraverat Gregorius X. Ge-  
 ves quibusdam Principibus ad obtinenda  
 187. n. 50. eadem ejusdem abrogationem incassum ad-  
 hibitis, tandem ad auxilium divinum per  
 preces ac beneficentiam erga inopes con-  
 versi, ad Papam mittere quendam Dei  
 servum statuerunt, & quidem Ambro-  
 sium Ord. Præd. e nobili Sansedoniorum  
 stirpe inter se natum, qui, cum Theolo-  
 giam Parisiis & Coloniae docuisset, Ora-  
 torem sacrum egregio successu agebat, &  
 jam Papæ Clementis IV absolutionem il-  
 lis impetraverat. Hunc igitur e longin-  
 qua, ubi erat, regione accitum, ut pro i-  
 psis etiam apud Papam Gregorium de-  
 preca-

Boll. 20.  
 Mart. t. 8. p.  
 187. n. 50.

p. 13. n. 17.  
 p. 246. n. 36.



precatoris munere fungeretur, orabant. **Sæcul. XIII.**  
 Quo per obedientiam suscepto ille ponenda prius odia & inimicitias esse dixit, & hoc fine conciones ante sui Ordinis templum habuit: nec enim capere potuisset omnem populum ipsi avidas præbentem aures. Illius eloquentia tam efficax fuit, ut cunctæ urbis familiæ in mutuam redirent gratiam. **A.C. 1273.**

Viterbium, ubi tum Aula Romana erat, delatus petitem Papæ alloquium mox obtinuit, qui viri doctrinam virtutemque per famam noverat, ejusque precibus annuebat. Cardinali Benedicto Cajetano a sacello erat Clericus, cui Papa per litteras Florentiæ 13 Julii an. 1273 datas mandavit, ut Senas interdicto solveret. Ambrosius inter quælibet communis lætitiæ signa ibi exceptus, dein ad plures Italiæ urbes per reconciliationem pacandas feliciter adhibitus est. Jam antea quoque conatus fuerat pacem inter Germaniæ Principes populosque reducere, ac eos ad ferendas Hungariæ Regi a Tartaris impugnato suppetias permovere. Ambrosius præfecturas Ordinis sui fugiebat, renuitque oblatos sibi a summis Pontificibus episcopatus plures, etiam Senensem in patria sua, ubi electus canonico ritu fuerat. Ad Deum excessit 20 Martii an. 1287, & miranda clientibus suis beneficia impetravit, quæ mox juri-

p. 189.  
 211. n. 8.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1273.

*Mart. R.*  
*20. Mart.*

juridico more perquirebantur. Neque tamen ad Sanctorum ordinem solemnibus ceremoniis aggregatus, sed solum martyrologio Romano cum Beati titulo inscriptus est.

§. XXV.

*Rudolphus in Romanorum Imperatorem eligitur.*

*Matth. Par.*  
*p. 859.*

*Alb. Argent.*  
*Chr.*

Ex illo tempore, quo Fridericus II. ex authoratus, & mortuus est, magna Italia motibus, majoribus Germania agitabatur. Sed hoc anno per electionem Imperatoris respirare coepit. Richardus Anglus electus Romanorum Rex 2 Aprilis an. 1271 obierat: & 16 Sept. anno sequente Papa Alphonso Castellæ Regi declaraverat, se jus ad Imperium, quod sibi vendicaret, admittendum non ducere. Igitur Electores omnes excepto Rege Bohemiæ Francofurtum delati libimuo conquerebantur mala, per longam Imperii vacationem creata, quæ ab exauthorato Friderico viginti octo annis durasset. Archiepiscopus Moguntinus Rudolphi Comitis Habsburgici fortitudinem ac sapientiam laudabat, has ejus virtutes reliquorum, qui commendarentur, opibus ac potentiæ præferendas afferens. Coloniensem primo ac Trevirensis Archiepis-



chiepiscopos, deinde Duces Bavariæ Sa-  
xonixque, ac Marchionem Brandebur-  
gicum ad suam perduxit sententiam. Ita  
Rudolphus una omnium voce electus est  
ultimo Septembris anno 1273. Cum E-  
lectores adiisset, mox eos sibi fidem jura-  
re voluit: &, quod sceptrum imperato-  
rium deesset, tergiversantibus prehensam  
sceptri loco crucem osculo colendam sin-  
gulis præbuit, sicque juramentum fideli-  
tatis accepit. Post quatuor ab electione  
hebdomades Aquisgrani coronatus est.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1273.

Ann. Steron.

§. XXVI.

*Episcopi Olomucensis ad Papam  
libellus.*

Brumo Comes Stheumbergius, Episco-  
pus Olomucensis, hanc Ecclesiam vi-  
ginti sex annis magna gubernans pruden-  
tia præclaram existimationem college-  
rat. Cum Papa Gregorius in litteris ad  
concilium convocantibus præcepisset, ut  
Episcopi earum rerum, quas in sua quis-  
que provincia emendandas viderent,  
commentarios ad ipsum mitterent: Bru-  
mo suum misit, qui tristem Ecclesiæ Ger-  
manicæ statum indicat. Ita loquitur:  
Universi homines tam sacri quam profa-  
ni, ne Præpositos habeant, Reges aut  
Præsules tales eligunt, qui potius ipsis  
*Hist. Eccles. Tom. XXI.* Pp pa-

*De Episc.  
Olm. p. 282.  
Sup. Lib. 84.  
§. I.  
Rayn. 1263.  
n. 6.*



Sæcul. XIII.  
A C. 1273.

§. II.

pareant: vel suffragia sua dispergunt, si-  
ve ut pecuniam ab utraque parte obti-  
neant; siue ut defensores sibi parent, si  
electus severitatem justitiæ contra ipsos  
adhibere vellet. Videntur horrore impe-  
ratoriam potestatem: Imperatorem spi-  
cientem ac bonum, sed non potentem  
cupiunt; nec vident potentiam unius, e-  
tiam si ea parum abutatur, tolerabiliorem  
esse, quam privatorum omnium insolentiam,  
eo quod illa saltem ejus obitu finis-  
tur.

Regna nostris tractibus vicina sunt  
Hungaria, Russia, Lithuania, & Borussia.  
Hungaria fovet Cumanos, non extero-  
rum modo, sed ipsorum etiam Hungaro-  
rum inimicos capitales: qui suis in bel-  
lis nec infantibus parcunt, nec senibus,  
& utriusque sexus juventutem in ser-  
vitiū abstrahunt, ut eam suis imbuant  
moribus, viresque suas augeant. Eodem  
in regno proteguntur hæretici schismati-  
cique alii ex regionibus illuc prolagi.  
Regina Hungariæ Cumana est: atque  
proximi cognati ejus falsa colunt numi-  
na: duæ Hungarorum Regis filiæ de-  
sponsæ sunt Russis schismaticis, & Tarte-  
rorum jugo subjectis. Lithuani Boru-  
que tanquam ethnici jam episcopatus Po-  
loniæ plures everterunt: ecce vicinos  
nobis proximos!



Hæc Hungariæ Regina erat vidua *Sæcul. XIII.*  
 Stephani V, & nurus Belæ IV, qui 3 Ma- *A. C. 1273.*  
 ji an. 1270 moriens alios inter liberos re-  
 liquerat Margaritam, quæ a teneris Deo *Ann. Steron.*  
 consecrata, cum intrasset Ordinem S. Do- *Boll. 28.*  
 minici, talia virtutum specimina edidit, *Jan.*  
 ut de illa Sanctis adscribenda ageretur, *t. 2. p. 897.*  
 obiit 18 Jan. an. 1271, ætatis suæ 28.  
 Frater ejus Rex Stephanus anno sequen- *Stero 1272.*  
 te, cum solummodo biennium regnasset, *Thurocz.*  
 supremum vitæ diem egit, successorem *p. 79.*  
 relinquens Ladislaum III admodum ju-  
 venem.

Episcopus Olomucensis ita pergit: *Rayn. n. 14.*  
 Germaniæ Principes sic inter se discre-  
 pantes, ut alii ab aliis terrarum suarum  
 vastationem expectare videantur, tuendo  
 inter nos Christiano nomini, aut feren-  
 dis Palæstinæ suppetiis prorsus impares  
 sunt. Solus his in plagis Bohemorum  
 Rex est, qui religionem possit defendere.  
 Hac venerunt Tartari, iterumque venient,  
 nisi bonitas tua nostræ saluti consulat, ne-  
 que terram sacram recuperare dum stu-  
 det, periculum tam propinquum ne-  
 gligat.

Ad Clerum quod attinet, illorum, qui  
 Clericatus privilegio gaudere volunt, nu-  
 merus quam pro paucitate ac tenuitate  
 beneficiorum major nobis Episcopis mo-  
 lestum facessit negotium. Quia illis be-  
 neficia conferre haud possumus, cum de-  
 Pp 2                      decore



Sæcul. XIII. A.C. 1273. decore Cleri mendicare coguntur: vel dum nolunt agros colere, ac opificium nullum sciunt, furta committunt & sacrilegia. Interdum comprehensi traduntur Episcopis. At e carceribus elapsi nova perpetrant crimina: & rursus capti trahuntur ad supplicium: id quod hominibus profanis anathemata accersit, offensionemque inter eos ac Præsules creat. Permitted proin, ut Episcopus solus eos in synodo sua exaugeret: quia nostris in regionibus Episcopi tantum inter se distant, ut ad exaugurationem Clericorum infanabiliū haud facile convenire queant: ac præterea laicorum illos capiendum absoluteioni ob ipsorum multitudinem ac difficultatem petendi Romam provide!

Cæterum Cleri secularis Ecclesie Collegiales, ut vocant, & parochiales de bonis ac juribus suis quotidie amittunt aliquid. Non eas frequentat populus; spernit conciones Parochorum, nec eis confitetur amplius, præsertim in urbibus, in quibus Fratres Prædicatores Minoresque domicilia habent. Hi enim a prima luce usque ad tertiam sacra incontinententer faciunt; & post sacrificium solenne insuper pluribus sacris privatis seu sine cantu operari pergunt. Itaque, cum hodie ametur brevitās, his maxime sacris adest populus; eumque Fratres ad ea retinent per sermonem, qui a templis reliquis



reliquis, ut par esset, adeundis illum im-<sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 pedit. Suis etiam festis, & quidem per <sup>A.C. 1273.</sup>  
 octo sæpe dies duorum, trium, quatuor,  
 vel plurium annorum indulgentias anne-  
 ctunt. En illa, quæ ad Clerum perti-  
 nent!

Quantum ad laicos, ut scis ipse, quip-  
 pe qui Leodii Archidiaconus fueris, in  
 quibusdam locis sæpius quotannis habe-  
 tur synodus, ad quam vocantur, & in qua  
 testes delecti memorant ea, quæ laici pa-  
 lam illo anno contra Deum ac religionem  
 fecerunt, aut quæ publicus fert rumor:  
 & accusati se purgare debent, vel pœ-  
 nam canonicam ferre. Hic mos in reli-  
 quis diocæsis non est receptus. Unde  
 fit, ut laicorum crimina quamvis manife-  
 sta, impunita maneant: atque si Parochus  
 in Parœcia sua eos velit arguere, sæpe  
 periculum vitæ subit. Fac igitur, si pla-  
 cet, ut in honorem religionis ubique talis  
 synodus habeatur.

Ex utroque sexu apud nos sunt, qui  
 nomen vestemque religiosam sumant, etsi  
 sacra Sedes eorum institutum non appro-  
 baverit: quare inter sectas numerandum  
 nobis videtur. Tantum obedientiam do-  
 minis dominabusque ac pastoribus suis  
 debitam per malam libertatem excutere,  
 uxores a maritis suis solvere se cupiunt:  
 aut etiam juniores viduæ matrimonio  
 nuncium remittunt contra monitum Apo-<sup>1. Tim. 5. 14.</sup>



**Sæcul. XIII.** foli. Hæ pietatem simulantes foeminae  
A.C. 1273. concitant seditiones contra Presbyteros,  
 dum faciendas eis confessiones, Sacramentaque ab iis accipienda subterfugiant,  
 & illa in eorum manibus contaminari significant. Censeremus, eas debere nubere, aut domibus Ordinum approbatorum includi. Talis est libellus Episcopi Olomucensis.

## §. XXVII.

*Papæ ad Episcopum Leodiensem epistola.*

**H**enicum Leodiensem Episcopum pessimi exempli vitam ducere nemo sciebat melius, quam Papa Gregorius. Idcirco ante concilium ei litteras scripsit, in quibus post exhortationem aliquam generalibus conceptam verbis ita loquitur: Ut dolentes audivimus, sacrilego mercatui & incontinentiæ adeo indulxisti, ut ante ac post susceptum Episcopatum plures procrearis liberos. Cum quendam Ord. S. Ben. Abbatissam in concubinam publicam tibi adscivisses, in epulo coram convivis omnibus gloriabaris, tibi viginti duos intra menses liberos quatuor fuisse genitos. Horum aliquibus, cum nondum ætatem haberent idoneam, contulisti vel comparasti beneficia etiam animarum cura

*Hæsem.*  
 p. 299.  
 to. II. conc.  
 p. 929.

41. 2. 117. 2

liber

897

ra



ra prædita: aliisque liberis tuis quales <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 optabant, nuptias per bona Episcopatus <sup>A. C. 1273.</sup>  
 tui, conciliaſti. Quendam Religioſam a-  
 liis cum mulieribus a longo tempore in  
 illa domo tua, quam Septum vocant, de-  
 times: & quoties illuc venis, eam ſolus  
 ingrederis, quos tecum adduxiſti, relin-  
 quens foris. Cum quoddam tuæ dice-  
 ceſis cœnobium ſuam amiſiſſet Antiftitam,  
 electionem canonicam ibi factam abro-  
 gans, Virginibus Deo ſacris præfecitſti fi-  
 liam Comitis, cujus filio aliquam e filia-  
 bus tuis deſponderas: novaque Abbatis-  
 ſa ex te ſobolem peperiffe dicitur.

Post alia quædam mali pariter exem-  
 pli facta Gregorius inquit: A ſacra Sede  
 vigefimam partem proventuum dioceſis  
 tuæ, ut hujus debita ſolveres, conſecu-  
 tus, inſuper dimidium ſacerdotii fructum  
 annuum e quavis Eccleſia recipis ſub  
 falſo terrarum quarundam alienatarum  
 obtentu: eamque pecuniam ad ditandos  
 liberos tuos congeris, ut ipſe, cum ægro-  
 tares, faſſus es. Non permittis, ut litte-  
 ræ apoſtolicæ de beneficiis, quæ confe-  
 rendi jus habes, ſtatuentes executioni  
 dentur: & illos, qui ea impetrarunt, in  
 magnum ſacræ Sedis contemptum car-  
 ceri addicis. Clerum ac Religioſos ini-  
 quis exactionibus vexando, & vitæ ſer-  
 vandæ cauſa in templa profugos inde per  
 vim abſtrahendo eccleſiaſticam immuni-  
 tatem



**Sæcul. XIII.** tatem violas. Ecclesiarum jura a Nobili-  
**A.C. 1273.** lium ordine per nefas usurpari pateris:  
 & in exercenda tua jurisdictione tempo-  
 rali tam negligens es, ut prædones, ho-  
 micidas, cæterosque facinorosos homi-  
 nes, dummodo pecunias pendant, suppli-  
 cio liberes. Denique preces horarias non  
 peragis, quas illitteratus cum sis, ne in-  
 telligis quidem: ac sæpe profanas e la-  
 na coccinea vestes cum cingulis argen-  
 teis gestas Equiti quam Præsuli similior.  
 Papa hortatur eum, ut se actutum corri-  
 gat, nec fidat juventuti suæ longam spou-  
 denti vitam.

*Hæsem.*  
*p. 275.*

*Sup. lib. 82.*  
*s. 58.*

[*p. 292.*

Hic Episcopus Leodiensis erat Hen-  
 ricus Ottonis Geldriæ Comitis frater, &  
 Guilielmi Bataviæ Comitis consobrinus:  
 fuerunt enim duarum Brabantiae Ducis  
 sororum filii. Innocentius autem quar-  
 tus Guilielmum Batavum eligi Imperato-  
 rem cupiens, etiam Henricum Geldrum,  
 qui eum fulciret, ad sedem Leodiensem  
 evehi curavit, quæ per obitum Roberti  
 Torotii an. 1246 factum vacabat. Hen-  
 ricus itaque anno sequente per operam  
 Petri Capochii Pontificii in Germania Le-  
 gati cooptatus est Episcopus Leodiensis:  
 & Conradus Coloniensis Archiepiscopus  
 id ratum habuit. Hac ratione hic juve-  
 nis Comes Episcopatum Leodiensem pos-  
 sidendum adiit, & per factam legis gra-  
 tiam, licet ne Sacerdos quidem esset, gu-  
 berna-



bernavit sub Pontificibus Maximis Inno-  
centio IV & Alexandro IV. Tandem  
an. 1258, post sui electionem undecimo  
in Sacerdotem ac Episcopum consecra-  
tus est: at bello maxime negotiisque tem-  
poralibus semper occupabatur.

Sæcul. XIII.

A.C. 1273.

## §. XXVIII.

*Pactio Norvegiæ Regem inter, &  
Archiepiscopum Nidrosianum  
transacta.*

**M**andatum, quod Papa Gregorius Epis-  
copis dederat, ut de rebus in con-  
cilio emendandis libellos ad ipsum mit-  
terent, Joanni Archiepiscopo Nidrosiano  
præbuit occasionem pacti de hujus Ec-  
clesiæ juribus cum Magno Norvegiæ Re-  
ge conficiendi. Hanc Metropolitæ se-  
dem Cardinalis Nicolaus Episcopus Alba-  
nensis Papæ Eugenii III Legatus an. 1148  
instituerat: quo usque Norvegia Lun-  
densi in Dania Metropolitæ subjecta erat.  
Archiepiscopus Joannes Roma, ubi con-  
secratus fuerat, reversus in Ecclesiæ suæ  
jura inquirere cum cœpisset, jurisdictionem  
suam constrictam vidit per molimina  
Prætorum, cæterorumque Judicum, lites  
secundum regionis leges scriptas & con-  
suetudines, non secundum jus canoni-  
cum, ac Ecclesiæ privilegia decernentium

Sup. lib. 69.

§. 50.

Rayn. 1273.

n. 19.



Sæcul. XIII.

A.C. 1273.*Sup. Lib. 59.**§. 15.*

tium. Vidit etiam Ecclesiæ suæ detra-  
ctam fuisse prærogativam aliquam. Nam  
Rex quidam pariter Magnus nomine di-  
cebatur se regnumque suum devovisse  
S. Olao Regi & Martyri, ac in signum sub-  
jectionis imperasse, ut post suum suorum-  
que successorum obitum sua & illorum  
coronæ huic Sancto in cathedrali Nidro-  
fiæ templo offerrentur. Is est S. Olavus  
Norvegiæ Rex an. 1028 necatus, ut supra  
tempore vidimus. Archiepiscopus inde  
per assererat, secundum veterem sanctio-  
nem aliquam Norvegiæ Reges eligi, sibi  
que ac reliquis Episcopis præcipuam in-  
ter electores auctoritatem esse debere.

Acceptis vero Papæ litteris concilium  
convocantibus, proposuit sibi perscribere  
ad Papam ea, de quibus tanquam erratis  
a concilio corrigendis sibi querendum  
existimabat. Sed Ecclesiam inter & Ara-  
gam diffidium spiritualibus æque ac tem-  
poralibus rebus maxime noxium inde na-  
sci posse considerans satius esse censuit,  
conquerendi causas Regi exponere, et  
que, ut eas ipse tolleret, orare. Rex pu-  
tabat se habere, quæ Archiepiscopi postu-  
latis opponeret; præsertim de conditio-  
ne regni sui, quod affirmabat esse liberum  
ac hæreditarium, quale id & a patre ma-  
joribusque suis accepisset, & posteris suis  
vellet transmittere. Nihilominus ex E-  
piscoporum Procerumque consilio pactio-  
nem



nem cum Archiepiscopo certis conflavit <sup>Sæcul.XIII,</sup>  
 conditionibus. Is Ecclesiæ suæ nomine <sup>A.C.1273.</sup>  
 cessit asserto jure eligendi Reges, eorum-  
 que coronam obtinendi, quamdiu resta-  
 ret hæres legitimus: sin deesset, Archie-  
 piscopus ac Episcopi prima de Rege novo  
 ferrent suffragia. Rex abdicavit omnem  
 juridicalem cognitionem causarum ad  
 Ecclesiam spectantium; quales essent  
 causæ omnes Clericorum, quando vel in-  
 ter se litigarent, vel contra laicos se de-  
 fenderent; causæ matrimonii, natalium,  
 juris patronatus, seu nominationis ad in-  
 eundum sacerdotale prædium; causæ de-  
 cimarum, votorum, testamentorum, ma-  
 xime quando ageretur de legatis piis; de-  
 fensio Clericorum ac peregrinantium ad  
 S. Olai aliorumque Sanctorum templa, il-  
 lorumque causæ; sacrilegia, perjuria, u-  
 suræ, sacrorum nundinationes, hæreses,  
 compressiones mulierum, adulteria, ince-  
 stus, cæteræque causæ omnes de jure  
 communi ad tribunal ecclesiasticum per-  
 tinentes. Adhæc Canonicis monachis-  
 que Episcopos & Abbates eligendi liber-  
 tatem integram concessurum se Rex pro-  
 misit. Hanc pactionem Bergæ i Aug.  
 an. 1273 factam post annum circiter Papa  
 ratam habuit.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1273.

§. XXIX.

*Daniæ Regis ac Episcoporum  
consensio.*

*Hist. Gent.*

*D.*

*Rayn. 1265.  
n. 53.*

*Sup. l. 85.*

Sub idem tempus compositæ sunt etiam controversiæ inter Regem ac Præfules Daniæ, quæ tamdiu duraverant. Cum Archiepiscopus Lundensis Jacobus Erikus an. 1268 iterum venisset Romam, Papa Clemens IV sive hujus relatione, sive Cardinalis Guidonis sui in Dania Legati litteris commotus Regi Erico VI scripsit in hanc sententiam. Revoca in memoriam tuam suppetias tibi ac Regine matri tuæ b Ecclesia latas! Reminiscere Papam de tempestate adversum te coorta certiozem factum misisse Gerardum facelli nostri Præfectum, qui jura tua pro viribus tueretur! Postea te matremque tuam ab inimicis captos ut ejusdem Gerardi opera liberaret Urbanus, conatus omnes adhibuit. Nos majora etiam paterni affectus nostri specimina tibi dedimus, dum ad te misimus Legatum Guidonem Cardinalem Presbyterum tit. S. Laurentii, ut tuum regnum in bonum statum pristinum firmiter restitueret. Nihilominus ex eo tempore, quo illuc advenit, comperimus libertatem ecclesiasticam ibi te connivente sperni, te ipsam eandem



eandem lædere, quibusdam Præsulibus, Sæcul. XIII.  
 aliisque viris sacris infestum esse perge- A. C. 1273.  
 re, jus eis suum nolle tribuere, ac ne per-  
 mittere quidem, ut in regno tuo desi-  
 gnetur locus, in quo de pace cum illis  
 agatur.

Num cogitas, quanto te periculo ex-  
 ponas, si expectes, dum contra te justi-  
 tiæ severitatem exerceamus te ab Eccle-  
 sia separando, tuum regnum interdictione  
 divinorum afficiendo, cunctos tibi subdi-  
 tos a juramento fidelitatis liberos pronun-  
 ciando? Multo melius ageres, si Legato  
 demisse obediens cum Præsulibus redires  
 in gratiam, nec audires illos, qui tibi sua-  
 dent, ut te litibus implices per frivolas  
 appellationes, quas non respiciemus am-  
 plius. Hæ minæ Legati monitis fultæ *Rayn. 1269.*  
 effectum habuere suum, ut docent litte- *n. 9.*  
 ræ, quas Rex Ericus 2 Apr. an. 1269 ad  
 Papam dedit, hujus nomini vacuum relin-  
 quens spatium, quoniam sacra Sedes va-  
 cabat. Hanc enim per epistolam Rex  
 declarabat, se, quas cum Archiepiscopo  
 Lundensi, cæterisque Episcopis, ac viris  
 ecclesiasticis ibi nominatis haberet, con-  
 troversias secundum potestatem Nicolao  
 Cancellario suo & Petro Archidiacono  
 Arhusino a se factam Papæ vel Judicis,  
 quem is deligeret, arbitrio subicere.

Ob longam sacræ Sedis vacationem  
 diu suspensa hujus negotii expeditio tan- *n. 10.*  
 dem



Sæcul. XIII.

A. C. 1273.

dem fiebat sub pontificatu Gregorii X. Nam an. 1272 Archiepiscopus Lundensis Urbe Veteri in aula pontificia præsentis per litteras patentes asseruit, se omnia postulata sua ad res spirituales attinentia arbitris ecclesiasticis permittere, sique inter se discreparent, ad Papam illa relictum iri. Quæ ad res profanas spectarent ea se ac Regem communium amicorum iudicio relicturos esse. Se rediturum ad Ecclesiam suam, si fidei publicæ testes litteras, quibus viginti Daniæ Procerum nomina essent subscripta, a Rege acceptisset: ac bene acturum cum iis, qui interea cum abesset, conferenda ab ipso beneficia occupassent. Rex Ericus in hæc reconciliationis pacta consensit per tabulas publicas Nicopiæ die S. Matthiæ 24 Febr. an. 1273 confectas. Archiepiscopus Jacobus Erlandus anno sequente 1274 de vita exiit: ac mense Majo ejusdem anni Petrus Episcopus Roschildanus per litteras patentes asseveravit, omnes quas cum Rege Erico ejusque matre tum Romæ, tum in Dania habuisset, controversias amice diremptas esse.

## §. XXX.

*Palæologus urget reconciliationem.*

Interea Imperator Michaël Palæologus identidem conabatur Ecclesiarum consensio-



sensionem effectam dare : & quodam die  
 Patriarchæ Josepho, Episcopis & quibus-  
 dam de Clero ad se congregatis magna  
 verborum vi de illa loquebatur, minas pro-  
 more suo admiscens. Edocebat eos, sine  
 ullo periculo posse cum Latinis agi : &  
 afferebat exemplum actionis præteritæ,  
 ac testimonia Archidiaconi Meliteniotæ,  
 Georgii Cyprii, ac rhetoris Holoboli. Me-  
 morabat igitur, ab Imperatore Joanne Va-  
 tacio, Episcopis, & Patriarcha Manuele  
 missos fuisse Episcopos, qui sponderent,  
 Græcos cum Latinis celebraturos esse li-  
 turgiam, & Papæ mentionem facturos,  
 dummodo hic Latinis Constantinopoli  
 versantibus auxilium non ferret. Expo-  
 nebat, quam diversus a præsentè rerum  
 conditione tunc fuisset earum status : &  
 monstrabat Episcoporum illius temporis  
 epistolas, in quibus Latinos neutiquam  
 de hæresi accusabant, sed orabant tantum,  
 ut e symbolo tollerent additamentum :  
*Filioque*, quod reliquis in scriptis suis ipso-  
 rum pace relinquerent. Affirmabat præ-  
 terea, Græcos non renuisse maxima Sa-  
 cramenta communicare cum Latinis, ea-  
 que accipere, si illi ritum ipsorum muta-  
 ta solum lingua vellent amplecti. Quid  
 est, addebat, cur contra canones sit no-  
 minare Papam in precibus, cum mos fe-  
 rat ibi tot alios, qui non sunt tanti Ponti-  
 fices, dum adsunt, nuncupare? Multo  
 minus

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1273.

Pachym. 5.  
 c. 12.

Sup.



Sæcul. XIII. minus malum est illum dicere fratrem ac  
 A. C. 1273. primum, cum ille dives epulo Abraham  
Luc. 16. v. 24. vocaverit patrem suum, licet ab eo mo-  
 dis omnibus discreparet. Atque si con-  
 cedamus etiam appellationes, num fiet  
 concursus ad transmittendum mare tam  
 procul litigandi gratia?

Postquam Imperator hæc locutus  
 fuerat, Patriarcha eum a Chartophylace  
 Joanne Vecco mox confutatum iri spera-  
 bat. Sed metu cohibitum videns, quid  
 de Latinis sentiret, exponere iussit, ana-  
 thematis pœna, nisi pareret, propo-  
 sita. Chartophylax hinc & illinc pressus inge-  
 nue fatebatur se malle corporis quam a-  
 nimæ pœnam subire: mentemque peni-  
 tus explicans assererat quosdam dici hæ-  
 reticos nec esse, alios esse nec dici: at-  
 que his Latinos annumerabat. Quæ  
 verba Patriarcham magnopere confirma-  
 runt; sed offenderunt Imperatorem: qui  
 ea ferendo impar protinus conventum  
 solvit.

n. 13.

Post aliquot dies Veccum coram con-  
 cilio curavit argui, quod in quadam lega-  
 tione fidem fefellerit. Ille reponerat  
 accusationem legitimam tempus præter-  
 gressam, verumque adversarium suum esse  
 se Imperatorem, contra quem se non pos-  
 set tueri. Episcopi perhibebant suum non  
 esse rei cognitionem capere, Clericum Pa-  
 triarchæ sine hujus permisso non judican-  
 dum



dum caufantes. Sed Patriarcha id re-  
nuebat: nam talem opinionis suæ de-  
fensorem nactus, in ea persistere cogita-  
bat. Ita hæc Imperatoris tentatio inuti-  
lis fuit. Interim Veccus eum adiit, & ne  
innocenti succenseret, oravit. Affirma-  
bat etiam se malle suam Chartophylacis  
dignitatem, suosque redditus missos face-  
re, quam in Ecclesia creare schisma, vel  
Imperatoris gratiam perdere: denique ad  
exilium sese offerebat. Palæologus, ut  
iracundiæ suæ pudorem per speciem hu-  
manitatis tegetet, illum absque responso  
remisit domum. Veccus præter exiliū  
sententiam nihil expectans in templum  
princeps confugit. At Imperator se sui  
consilii metam attingere non posse videns,  
omni honoris genere affectum ad se ve-  
nire iussit, & viam ingressum carceri ad-  
dixit.

Tum Imperator utens doctorum ope-  
ra, quos circa se habebat, & quorum  
præcipui erant Archidiaconus Melitenio-  
ta & Georgius Cyprius, composuit scri-  
ptum, in quo per historias ac testimonia  
probabat Latinorum doctrinam sine næ-  
vo esse, illudque Patriarchæ misit, ut pro-  
tinus, sed solum per historias & codicis  
sacri locos ad idem responderet, impe-  
rans, negansque se accepturum, quæ Pa-  
triarcha ex se ipso proferret. Tam fiden-  
ter ideo loquebatur, quod neminem re-

*Hist. Eccles. Tom. XXI.*

Q q spon-



**Sæcul. XIII.** spondere sibi aufurum crederet, postquam  
A.C. 1273. Veccum in potestatem redegit suam.  
 Sed Patriarcha cum concilio suo habita  
 de hoc scripto deliberatione, secum eadem  
 sentientes collegit, inter quos erant qui-  
 dam ex illis, qui schisma contra ipsum  
 commoverant; conspirabant tamen ad  
 tuendam communem Ecclesiæ causam,  
 quam tunc agi censebant. Etiam foror  
 Imperatoris Eudoxia huic conventui a-  
 derat, cum monachis doctisque, quicun-  
 que Latinis adversabantur.

Legebatur scriptum Imperatoris: &  
 monachus Jobus Jasita se ad id respon-  
 sum afferuit jungentibus operam quibus-  
 dam aliis, in quorum numero erat Histo-  
 ricus Georgius Pachymerus. Absoluta  
 responsio in conventu lecta cum fuisset,  
 correctis, quæ pro Imperatore nimis a-  
 speræ videbantur, expressionibus ad eum  
 missa est. Qui attentissime perlectam sibi  
 contemptui esse simulans publice legi-  
 tum quidem noluit: sed recepta spe ope-  
 ram hac ex parte perditam alio conver-  
 tens Vecci studium captare statuit.

## §. XXXI.

*Veccus dissentit a schismaticis.*

**H**oc fine cunctos codicis sacri & Patrum  
 locos, qui favere Latinis videbantur,  
 6. 15. Vecco in carcere præberi iussit. Qui cum  
 esset



esset vir probus ac per omnia veritatis a-  
mans, cœpit dubitare, an non errasset  
hactenus: plus enim temporis libris pro-  
fanis quam divinis tribuerat. Cupiebat  
videre libros integros, e quibus hi loci ex-  
cerpti essent, ut eos accurate legeret, ac  
Latinorum fidem, si veram esse cognosce-  
ret, sibi firmiter persuaderet, aut diceret  
rationes, quæ, ne illam amplecteretur,  
obstarent. Imperator e custodia dimisso  
libros tradi voluit, ut eos, cum sibi com-  
modum esset, sumpto spatio discuteret:  
id quod eo successu fecit, ut reconcilia-  
tionem esse facilem, ac præter addita-  
mentum in symbolo nihil Latinis objici  
posse crederet. Movebat eum inter a-  
lios S. Cyrillus ita loquens: *Spiritus San-  
ctus est substantialiter ab utroque, scilicet à  
Patre per Filium; & S. Maximus, qui qua-  
dam in epistola ad Rufinum ait: Unde o-  
stendunt se non dicere, filium esse causam Spi-  
ritus Sancti, sed hunc per illum procedere;*  
& inde probat unitatem substantiæ neu-  
tquam separabilis; denique S. Athana-  
sius inquires: *Spiritus Sanctus inter Per-  
sonas divinas agnoscitur, eo quod a Deo per  
Filium procedat, nec sit ejus opus, ut hære-  
tici perhibent.* Veccus sic tranquillato a-  
nimo suo se stare pro pace asseruit: &  
Imperator tum in magnam hujus spem  
adductus instabat Episcopis, ut in illam

c. 16. p. 269.



Sæcul. XIII. consentirent, ne Papæ Nuncii diutius  
A.C. 1273 detinerentur.

c. 16.

Sed antequam Veccus mentem suam aperuerat, monachus Jobus, ne Patriarcha Josephus Imperatoris sollicitationibus tandem cederet, timens illi auctor fuit, ut declarationem scripto daret, ad omnes recte credentes mitteret, ac jurejurando confirmaret, sic indicaturus, se confessionem cum Latinis respuere. Paruit consilio Patriarcha: verum, priusquam declarationem mitteret, indagare voluit, an Episcopi ad extremum usque in sententia permanerent: & congregatis declarationem prælegi curavit. Assensere omnes, exceptis providentioribus, & subscripsere. Sed quod Patriarcha fidem suam tantopere obligasset, Imperatori vehementer doluit. Quantum enim optabat, ut fieret reconciliatio, tantum cupiebat, eam per hunc Præsulem fieri: solatio tamen ei fuit Vecci mutatio.

Sup. S. 18.

t. II. Conc.

p. 350.

Rayn. 1273.

n. 44.

Itaque duos ex Ordine Minorum Nuncios Raymundum Berengarium, & Bonaventuram Mugellanum anno priora Constantinopolim delatos remisit ad Papam, retentis duobus reliquis, ut redeuntibus Legatos suos adjungeret. Illis tradidit epistolam, in qua de Papæ literis (24 Oct. an. 1272. datis) gaudere se ac reconciliandis Ecclesiis studere significat; Nuncios dicturos esse, quam bene



ne affectos ad pacem Græcos reliquerint. Sæcul. XIII.  
 Exponit, quantum hæc conduceret ad A. C. 1273.  
 bellum contra ethnicos, oratque, ut Pa-  
 pa tutum Legatis iter præstet, quos se  
 ad concilium protinus missurum spondet.  
 Papa in responso suo diffidentiam mon-  
 strat aliquam ita scribens: Græcos re- Conc. p. 354.  
 conciliationem per sermones callidos & Rayn. n. 50.  
 subdolos in aliud aliudque tempus pro-  
 trudere complures viri spectabiles affir-  
 mant: ideoque nobis sæpe dissuaserunt,  
 ne Nuncios ad te mitteremus: id quod  
 scribimus te tanto magis stimulandi gra-  
 tia, ut hanc rem sincere ac efficaciter  
 aggrediaris, & comprimas ora sic loquen-  
 tium, qui diuturnam nostrorum Nuncio-  
 rum absentiam observant asseruntque hu-  
 jusmodi dilationes sæpe affectatas fuisse  
 ob spem subitæ occasionis abrumpendi  
 negotium. Dabat Lugduni 23 Nov. an.  
 1273. Eodem tempore Philippum, qui  
 Imperatoris Constantinopolitani titulum  
 gerebat, & Carolum Siciliæ Regem per  
 litteras rogabat, ut Palæologi Legatis  
 securitatem plenam concederent.

§. XXXII.

*Gregorius X. Lugduni Gallorum  
 agit.*

**H**aud diu erat, quod Papa Gregorius  
 Lugduni moraretur. Florentia in  
 Qq 3 Lom-



**Sæcul. XIII.** Lombardiam profectus die Martis 3 Oct.  
**A.C. 1273.** Placentiam attigerat cum Ottone Pro-  
 Comite Archiepiscopo Mediolanensi, qui  
 per Turrianorum factionem continenter  
 exul cum Papa cognato suo se rediturum  
 in patriam sperabat. At compertis Tur-  
 rianorum ac Mediolanensis populi jam  
 arma capientis comminationibus, ne si-  
 bi vis inferretur, metuens, Ticinum se  
 recepit. Die Veneris 6 Oct. Papa Lau-  
 dem advenit, ac die Dominica, ejusdem  
 mensis octava Mediolani eum Turriani  
 quanto poterant, honore excipiebant.  
 Sed hac factione familiæ suæ contraria  
 offensus, cum intraret urbem, non se  
 spectandum dabat, in carpento tecto se-  
 dens, ac solummodo per ejus claustrum  
 benedicens populo. Comitabantur eum  
 Cardinales quidam, inter alios S. Bona-  
 ventura, quem ad hanc dignitatem eo  
 ipso anno hebdomade Pentecostes eve-  
 xerat.

*Vading.*

1273. n. 13,  
*Ibid.* n. 13,

In eorum numero erat etiam Pro-  
 (<sup>\*</sup>) Vicedom, Dominus (<sup>\*</sup>) Papæ nepos ejusdem Or-  
 dinis Minorum ex Archiepiscopo Aque-  
 si Cardinalis Episcopus Prænestinus, pro  
 quo Papa Aquis Sextiis Grimerium per  
 litteras 4 Sept. an. 1272, datas substi-  
 tuit.

*Sup.* §. 13.  
*Ughel. to. I.*  
 p. 242.

*Carle. p. 308.* Mediolani Gregorius triduo tantum  
 substitit, nullam impertiens indulgen-  
 tiam, & vix quenquam incolarum ad  
 con-



conspectum admittens. Die mercurii noctu eques inde abiit solo suorum comitatu cinctus. Propter offensam ex Archiepiscopi Ottonis exilio acceptam sic egisse ferebatur. Lugdunum delatus ex itineris defatigatione æger decubuit, ita ut die dedicatæ S. Petri Basilicæ Romanæ 18 Novembris solenni sacrificio interesse nequiret.

Archiepiscopus Lugdunensis tunc erat Petrus Tarantasinus Ord. Præd. Philippus Sabaudus, cui Papa Innocentius IV. an. 1245. hanc celsam sedem destinaverat, ejus reditus tribus & viginti annis possedit, sed solummodo tanquam Præsul electus: nunquam enim sacros suscepit Ordines, & militarem magis quam ecclesiasticam ducebat vitam. Denique suo fratre Petro Sabaudicæ Comite, postquam ipsum instituerat hæredem suum, mortuo, Archiepiscopatum Lugdunensem, Episcopatum Valentinum, cæteraque beneficia sua anno 1268 abdicans uxorem duxit Alicem Ottonis Burgundicæ Comitis filiam. Igitur ejus loco Papa Gregorius X. Ecclesiæ Lugdunensi Fratrem Petrum Tarantasinum, non tamen ante annum 1272. præfecit. Erat celeberrimus inter suos Doctor, Parisiis S. Thomæ successerat, & tunc Magistrum Ordinis sui Generalem agebat. Antequam consecraretur, pro bonis cis Ararim sitis

Sæcul. XIII.  
A.C. 1273.

Rayn. 1273.  
n. 40.

Sup. lib. 82.  
§. 22.

Gall. Chr.  
to. 1. p. 32. 4.

Rayn. 1272.  
n. 68.

Spicil. to. 2.  
p. 250.

Q q 4

2 Dec.



Sæcul. XIII. 2 Dec. an. 1272. in clientelam Philippi  
 A. C. 1273. Regis se contulit.

## §. XXXIII.

*Guidonis Monfortii pœnitentia.*

*Sap. c. 18.* Cum Eduardus Angliæ Rex ob Henricum Germanicum cognatum suum a Guidone Monfortio peremptum iustitiam a summo Pontifice postulasset, Gregorius illi, quid hac in re factum esset, significavit hunc in modum. Cum Florentiam venissemus, Guido Monfortius per conjugem suam, compluresque personas alias ad nos missas impensissime flagitabat, ut sibi nostros subire oculos liceret ad præstandam nobis obedientiam parato. Sed spatium nobis sumendum duximus, ut sinceritatem pœnitentiæ exploraremus. Florentia egressis se nobis circiter bis mille passus ab urbe obtulit in subucula, pedibus omnino nudis, cum laqueo circa collum prostratus humi & lacrymis totus diffluens. Dum plures e comitatu nostro ad hoc spectaculum subsistebant, Monfortius exclamabat, se mandata nostra sine ulla exceptione accipere, ardentemque cupere in custodiam dari quocunque nobis placeret loco, dummodo absolveretur. Non tamen eum tunc audivimus: nullum dedimus responsum: e contrario comites  
 ejus

*Rayn. 1273.*  
*no. 41.*



ejus reprehendimus, quasi incommodum Sæcul.XIII.  
 tempus caperent. Postea vero de Fra- A.C.1274.  
 trum nostrorum consilio duos Cardinales  
 Diaconos Richardum de S. Angelo &  
 Joannem de S. Nicolao Romæ residen-  
 tes in aliquo Ecclesiæ Romanæ castro  
 illi locum carceris assignare, & absentiæ  
 nostræ tempore per milites Caroli Siciliæ  
 Regis custodiendum curare iussimus. Da-  
 bat 29 Nov. an. 1273.

§. XXXIV.

*S. Thomæ Aquinatis obitus.*

Anno sequente, cum concilii tempus  
 immineret, Papa S. Thomam Aquina-  
 natem tanquam virum doctissimum eo  
 vocavit. Erat Neapoli, quo post comi- Echard.  
 tia Ordinis generalia Florentiæ Penteco- Sum. p. 217.  
 stes hebdomade celebrata an. 1272. mis- 265.  
 sus fuerat. Universitas Parisiensis ad  
 hæc Comitia scripserat, efflictim rogans,  
 ut S. Doctor ipsi redderetur. At Caro-  
 lus Siciliæ Rex vicit & obtinuit, ut Tho-  
 mas in urbe natalis terræ suæ primaria  
 doceret, cujus Archiepiscopatum renuif-  
 set. Hic Princeps illi unciam auri in Sup. lib. 85.  
 menstruam pensionem attribuit. Nea- §. I. 7.  
 poli S. Doctor tertiam Summæ partem p. 266. 3. p.  
 continuavit usque ad tractatum poeniten- q. 90.  
 tiæ, quem reliquit imperfectum. Ibi Ech. p. 267.  
 dem Fratrem Romanum Papæ Nicolai



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

III. nepotem, cui Parisiis suam cathedram Theologicam cefferat, nuper extititum vidit in somno. Quærebat ex eo Thomas, an visio Dei per essentiam (ut cum scholis loquar) esset talis, qualis in libris describeretur. Romanus reponerebat: Modo nobiliore cernitur: id quod brevi scies.

p. 268.

Vita ap.

Boll. 7.

Mart. to. 6.

p. 676.

Itaque relinquens Neapolim Thomas ut ex mandato Papæ Lugdunum peteret, opusculum sumebat secum, quod Urbani IV. jussu contra Græcos scripserat, ut eos erroris ac schismatis convinceret. At in Campania gravi morbo implicitus, quia nullum in vicinia Prædicatorum coenobium erat, Fossæ Novæ celeberrimæ Cisterciensium Abbatia substitit, ubi morbus ingravescerebat. Cum intrasset Templum, salutato altari claustra monasterii subiit, & coram monachis, quos inter aliqui Fratres Prædicatores aderant, sibi applicans verba Psalmi quasi per vaticinationem ad socium suum, Reginalde *Pf. 131. v. 15.* *fili mi! hæc requies mea, inquit, hic habitabo, quoniam elegi eam.* In Abbatis conclave perducto monachi, quantum poterant, charitatem, quamdiu decubuit, exhibebant, gratulantes sibi, quod viro tanto præstare obsequia possent. Quibusdam eorum, ut doctrinæ suæ monumentum aliquod ipsis relinqueret, obtestantibus, licet imbecillimus esset, brevem



vem Cantici Canticorum explanationem composuit. Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

Imminere sibi mortem sentiens facrum poscebat viaticum, quod Abbas afferebat monachis debita cum reverentia comitantibus. Æger obviam factus procubuit humi, & a Præsule fidem profiteri ex more jussus recitato magna cum pietate symbolo speciatim divinum Evcharistiæ mysterium explicavit se doctrinam & scripta sua examini ac judicio Ecclesiæ Romanæ submittere asseverans. Altero mane paulo post, quam sacro oleo, ut petierat ipse, perunctus erat, spiritum Deo reddidit 7 Martii an. 1274. ætatis suæ quinquagesimo circiter. Ex *Echart. p.*

equiis ejus interfuit Franciscus Episcopus Terracinensis, in cujus diœcesi sita est Fossa Nova. Erat ex Ordine Fratrum Minorum, quorum plures eum ad hanc ceremoniam comitabantur, sicut etiam multi regionis Nobiles, inter quos Thomas non paucos habuit propinquos. In sacro adyto sepultus cum fuisset, divina virtus ibi miracula edidit.

Sancti vita videtur brevis cum multitudine scriptorum ejus si comparetur. *V. Labbe*  
Priora quinque volumina sunt commentarii in pleraque Aristotelis opera: tum *Scrip. Cav. sec. schol. p. 514.*  
veniunt commentarii in Magistrum Sententiarum; deinde volumen de quæstionibus Theologicis, Summa contra ethnicos,



Sæcl. XIII.  
A. C. 1274.

*Trivet. Chr.*  
1274.

*Cav. sac.*  
*Vid. p. 8.*

*Boll. p. 665.*

*p. 669. 670.*

nicos, Summa theologica, plures commentarii in sacras litteras, denique opuscula numero septuaginta tria, quorum plura sunt dubiæ fidei. Generatim secundum optimos criticos S. Thomæ multæ tribuebantur scripta, quæ publicarum ejus lectionum compendia duntaxat erant, & *Reportata* vocabantur, pro more illius temporis; atque nominis communitas fecit, ut cum S. Doctore confunderetur Thomas Anglus sive Jorzius ejusdem Ordinis Religiosus, qui eodem seculo ac sequentis initio vivebat. Verum si sola opera, quæ certo illius sunt, computemus, mirissimum est, illum viginti circiter annorum spatio ab obtento Doctoris gradu usque ad mortem ea componere potuisse, cum bis venerit Parisios & in Italiam redierit.

Sic Guilielmus Toccensis in Sancti vita loquitur, adjungens: Ut fidelis ejus socius & illi testabantur, qui ejus verba calamis excipiebant, in conclavi suo tribus & interdum quatuor scribis diversas eodem tempore materias dictabat. Somno parum indulgens, magnam noctis partem dabat precibus, quibus magis quam industriæ scientiam adscripsit suam. Studium & scriptionem nunquam interchoabat nisi præmissis precationibus, quas geminabat, cum graves in difficultates incurreret, addebatque jejunium. Cum quon-



quondam utrumque pietatis genus adhi- Sæcul. XIII.  
 buisset, ut obscurum Isaiæ locum intel- A. C. 1274.  
 ligeret, noctu eum suus socius Frater  
 Reginaldus cuidam loqui audiit, igna-  
 rus, quis hic esset, & quid dicerent.  
 Postea S. Doctor ad Fratrem, Surge, a-  
 jebat, accipe lumen & quatuor pagina-  
 rum chartam, in qua de Isaiæ loco scri-  
 psisti: cumque illi diu dictasset, eum  
 dormire iussit. Reginaldus ad Thomæ  
 pedes provolutus, ut fateretur, quicum  
 locutus esset, eum tamdiu urgebat, do-  
 nec indicaret, Deum ad se misisse SS. A-  
 postolos Petrum & Paulum se informan-  
 di gratia. Sed per vitam suam id celari  
 voluit.

Ad studia sua tantopere se applica-  
 bat, ut nesciret, ubinam esset. Quo-  
 dam die ad epulum a Rege S. Ludovico  
 adhibitus mensam pulsabat inquiring:  
 En argumentum firmissimum contra Ma-  
 netis hæresim! Prior, qui simul aderat,  
 eumprehendens manu, Magister cogi-  
 ta, ajebat, te interesse convivio Gallo-  
 rum Regis! ac per vestem fortiter eum  
 trahendo fecit, ut colligeret animum.  
 Tum Thomas veniam a Rege petiit, mi-  
 rante scilicet ac probante virtutem viri,  
 quem honor sibi exhibitus tam parum  
 tangeret. Ne autem sancto Doctori ar-  
 gumentum suum excideret e memoria,  
 Rex accitum seruum a manu in præsen-  
 tia

p. 673.



Sæcul. XIII. A. C. 1274.                       
 p. 674.      tia sua id scribere iussit. Thomas me-  
 tuens, ne meditationum a sensibus ab-  
 stractarum subtilitas exsiccaret mentem,  
 ac pietatem suam frigeret, quotidie in  
 Cassiani libris, quas Conferentias vo-  
 cant, legebat aliquid exemplo S. Domi-  
 nici, cui hæc lectio ad assequendam per-  
 fectionem multum profuit. Cæterum  
 sanctus Thomas quantumvis doctus con-  
 ciones habebat simplices, nihil curiosi-  
 tati, omnia populi emolumento tribuens,  
 qui cum reverentia eum auscultabat, tan-  
 quam si Deus coram loqueretur. Dice-  
 bat sæpenumero se non capere quorun-  
 dam Religiosorum agendi rationem, alia  
 quam quæ ad gloriam Dei & salutem  
 proximi servirent, proferentium.

§. XXXV.

*Initia S. Petri Cælestini.*

**M**anaverat in vulgus rumor, in Lugdu-  
 nensi concilio novos Ordines reli-  
 giosos suppressum iri. Quare, antequam  
 id celebraretur, Gregorium Papam Pe-  
 trus Moronus Cælestinorum author adiit.  
 Natus erat an. 1215. in Æterniana A-  
 puliæ dioecesi: pater ejus se dicebat  
 Angelarium; cui cognomen nullum ad-  
 ditur; mater Maria vocabatur: obscuri  
 ambo in oculis hominum, virtuti operam  
 dabant. Habebant filios duodecim; quo-



quorum ut aliquis se totum Deo conse- Sæcul.XIII.  
A.C.1274.  
craret, cupiebant: votisque respondit  
Petrus, qui erat undecimus. A puero  
ad virtutem propensionem tantam præ-  
setulit, ut a matre vidua ad litterarum  
studia mitteretur: & cum semper ma-  
gnum solitudinis desiderium sensisset, vi-  
ginti ætatis annos numerans, suum exe-  
qui propositum coepit: primumque ad  
S.Nicolai templum castro Sario vicinum,  
deinde in eremum propinqui montis, de-  
nique in alius montis antrum se contu-  
lit, ubi altam invenit rupem, sub qua  
fodit parum & habitavit, sed tam an-  
guste, ut vix rectus stare, vel ad cu-  
bandum extendere se posset: nihilomi-  
nus triennio ibi permansit.

Cum ei nemo non suaderet, ut se ini-  
tiari Sacerdotem curaret, Romam pro-  
fectus ibi Sacerdotium accepit. Posthæc  
ad montem Moronum prope Sulmonem  
Aprutii ulterioris urbem ac Episcopi se-  
dem venit, & illic speluncam sibi arri-  
dentem quinque annis incoluit. Ibidem  
tentatum, ut sacrum ex demissione o-  
mitteret, Deus monuit, ut porro face-  
ret. Ob cæsas per ambitum sylvas &  
primam inculti soli arationem hunc lo-  
cum ab oculis hominum non satis esse  
remotum videns ad montem Magella-  
num Sulmoni pariter vicinum transiit,  
ubi grandem cavernam vidit, sibi ma-  
gno



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

gnopere, non item duobus, quos habebat, fociis, nec amicis placentem suis: quapropter solus ibi manebat. Socios tamen, ut paucis post diebus reduces ibi permanerent, suus in eum amor permovit; & plures ei postea in disciplinam se tradebant. Hos suscipere, quantum poterat, recusabat, se hominem esse simplicem, & malle solitarium semper vivere causatus. Sed interdum charitate victus in eorum vota consentiebat. Deinde ibi pulchra ædicula in honorem Spiritus Sancti constructa est, multique illuc etiam longinquis e regionibus magna cum pietate veniebant. Sic Petrus ipse vitæ suæ initia refert; sed cum pluribus aliis circumstantiis, quæ illum revera fuisse simplicissimum, & cogitationes suas facile pro divinis instinctibus, sua somnia pro cælestibus monitis, & quæcunque videbantur extraordinaria, pro miraculis accepisse indicant.

p. 505.  
Ughell. t. 6.  
p. 906.

Boll. p. 454.

Posthæc discipuli ejus S. Benedicti regulam amplexi sunt, ut docet illorum instituti confirmatio an. 1263. primo Junii ab Urbano IV. facta & ad Nicolaum Episcopum Theatinum missa in gratiam Fratrum Magellanam Spiritus Sancti eorum in ipsius dioecesi sitam incolentium. At Petrus eorum author regulæ observantiis multa addebat aspera. Cellulæ privatæ tam arcte se incluserat, ut ille,



ille, qui facienti sacrum respondebat, Sæcul. XIII.  
 per fenestram ei serviret. Certa per tem- A.C. 1274.  
 pora nihil omnino loquebatur, in nuda  
 cubabat terra, vel in asseribus, loco pul-  
 vini saxo truncove cervici subdito: cin-  
 gulum catenis ferreis onustum, & indu-  
 sium hamulis textum supra carnem por-  
 tabat. Quotidie excepta Dominica co-  
 lebat jejunium, diebus Martis ac Vene-  
 ris pane & aqua contentus. Noctem sæ-  
 pe recitando psalmos agebat sine somno:  
 & otium devitandi gratia, suis manibus  
 cilicia conficiebat, quæ daret aliis.

Edoctus igitur concilium Lugdunen- p. 505.  
 se novos Ordines religiosos suppressurum  
 esse, duobus cum Fratribus Joanne Ar-  
 rino Sacerdote & Placido Murrubiano  
 laico mense Novembri an. 1273. insuper  
 habita aëris inclementia in viam se de-  
 dit. Postquam Lugdunum advenerat,  
 habitabat in aedibus, quas Cælestiniani  
 hodie incolunt, tunc vero Templarii pos-  
 sidebant. Quantumvis male vestitum,  
 & ab externa specie opportunum contem-  
 ptui honorifice tamen accepit Papa Gre-  
 gorius, ac institutum ejus ratum habuit  
 per litteras 22 Martii an. 1274. datas,  
 & Magellano Spiritus Sancti coenobio p. 507.  
 inscriptas: per quas suum ei præsidium  
 pollicetur; ordinem monasticum seu in-  
 troductam illuc regulæ Benedictinæ ob-  
 servantiam sancte ac perpetuo coli ju-  
 bet



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

bet; Fratribus bonorum omnium, quos enumerat, possessionem confirmat, & plures prærogativas tribuit. Petrus Moronus mense Junio ejusdem anni Magellam rediit.

## §. XXXVI.

*Concilii Lugdunensis sessio prima.*

*Ptolem. Luc.  
ap. Rayn.  
1274. n. 1.  
t. 11. conc.  
p. 925.*

Lugdunense concilium tam numerosum erat, ut Episcopi quingenti, Abbates septuaginta, & mille alii Antistites convenerint. A secundo Maji an. 1274 per tridui jejunium præparati septimo ejusdem mensis primo rogationum die in metropolitano S. Joannis templo primam habebant sessionem. Papa Gregorius sub sacrificii horam descendit e conclavi suo comitantibus se pro more duobus Cardinalibus Diaconis, ac sedem pontificiam in choro sibi positam occupavit. Ibi tertiam & sextam, quia dies jejunii erat, dixit: tum Hypodiaconus attulit sandalia, eique inducebat interim, dum circa eum Clerici sui ordinarios ante sacrum psalmos recitabant. Cum lavisset manus, Diaconus & Hypodiaconus pontificiis eum ornamentis ob Paschatis tempus albis & pastorali pallio induerunt, quasi rem divinam facturus esset. Tum crucem, quæ præferebatur, sequens adornatum conscendit pulpitu- &



& in folio confedit suo, inter duos Car-  
 dinales, quorum alter tanquam Presby-  
 ter assistebat, alter Diaconi munere fun-  
 gebatur: aderant illi simul quatuor alii  
 Cardinales Diaconi cum quibusdam Cle-  
 ricis lineo tectis amiculo. Jacobus Ar-  
 ragoniæ Rex eodem, quo Papa, in pul-  
 pito sedebat.

sæcul XIII.  
 A.C. 1274.

7. Maji.

In templi medio editas habebant se-  
 des duo Patriarchæ Latini Pantaleon  
 Constantinopolitanus, & Opizion Antio-  
 chenus; Cardinales Episcopi, atque in-  
 ter hos S. Bonaventura & Petrus Taran-  
 tasinus Episcopus Ostiensis nuperrime  
 illam ad dignitatem evectus, ac ex al-  
 tera parte Cardinales Presbyteri, tum  
 Primate, Archiepiscopi, Episcopi, Ab-  
 bates, Priores, cæterique Antistites in-  
 gente numero: qui nullam de priore lo-  
 co controversiam movebant, quia Papa  
 sanxerat, ut confessus nulli eorum Eccle-  
 siis fraudi esset. Inferiora subsellia tene-  
 bant Robertus Templi, Guilielmus Ho-  
 spitalis Domus Magistri cum nonnullis e-  
 questrium Ordinum suorum Fratibus;  
 Franciæ, Germaniæ, Angliæ ac Siciliæ  
 Regum & plurium aliorum Principum  
 Legati, Collegiorumque ac Ecclesiarum  
 Nuncii. Papa sedens formabat signum  
 crucis super Præsules in conspectu posi-  
 tos. Canebantur preces in rituali libro  
 pontificio ad celebrandum concilium de-

R r 2

signa-



Sæcul. XIII.

A. C. 1274.

Luc. 22. v.  
15.

Conc. p. 957.

signatæ. Deinde Papa orationem habuit pro themate illa sumens verba: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Et cum paululum quieveret, exposuit convocati concilii causas, scilicet mittendum terræ sacræ subsidium, reconciliationem Græcorum, morumque correctionem. Demum sessionem alteram in futuram diem lunæ indixit. Tum depositis ornamentis recitavit nonam, sicque primam sessionem finiit.

In hujus ac secundæ intervallo ad Papam & Cardinales vocati sunt singuli Archiepiscopi cum uno quisque Episcopo, & uno cum Abbate provincie suæ, quos Papa seorsum in conclave suum directos permovit ad decimam proventuum sacrorum partem sibi per sexennium petendam, quod eodem anno 1274. a festo S. Joannis die ordirentur.

## §. XXXVII.

*Altera sessio.*

18. Maji.

Secunda concilii sessio fiebat die Veneris 18 Maji. Eadem ibi ceremoniæ quæ in prima, observabantur. Papa orationem quidem tunc dicebat; faciebat tamen verba de priore materia. Pro mulgatis dein sanctionibus, quæ spectabant ad fidem, dimissi sunt Nuncii Collegiorum, Abbates Prioresque non invitati.



lati, exceptis illis, qui nominatim ad concilium accersiti fuerant: cæteri quoque minores Præfules infula insignes missione donati sunt: ac sessione tertiæ præstituta est dies lunæ post octavam Pentecostes, vigesima octava Maji. Ita finiebatur altera sessio. Paulo post Papa accepit epistolas Hieronymi Asculensis & Bongratii duorum e quatuor Fratribus Minoribus, quos an. 1272. Constantinopolim miserat. Lætus admodum his de litteris cunctos Præsules in templum S. Joannis acciri voluit, ubi S. Bonaventura de reconciliandis Ecclesiis sermonem habuit: tum lectæ sunt epistolæ.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

Sup. lib. 85.  
§. 58.

§. XXXVIII.

*Sessio tertia. Constitutiones.*

Tertia sessio erat septimo Junii. Rex Arragoniæ non illi adfuit, & Concilio longam salutem dixit iniquo in Papam animo coronare se renuentem, nisi tributum a Rege Petro patre suo, cum ipsi Papa Innocentius III. Romæ an. 1204. coronam imponeret, sacrae Sedi promissum solveret. In hac tertia sessione Episcopus Ostiensis Petrus Tarantasinus orationem instituit. Tum editæ sunt duodecim constitutiones de eligendis Episcopis, & initiandis Clericis. Illæ sic sonant: Qui se opponent electionibus, & appellati. Conc. p. 998. Sup. l. 76. §. 10. Ut circa elect.

7. Junii.

to. II. Conc.  
p. 998.  
Sup. l. 76.  
§. 10.

R r 3

appel-



Sæcul. XIII. appellabunt, in litteris appellationis alio  
 A.C. 1274. ve instrumento publico cunctas opposi-  
 tionis suæ rationes expriment, ad pro-  
 ponendas deinde alias non admittendi.  
 to. II. Conc. p. 979. Electi res Ecclesiæ spirituales procura-  
 c. 4. de elect. in tionis vel administrationis titulo guber-  
 sexto. nandas sibi neutiquam deposcent, nec  
 c. Avaritiæ ullo se modo eis immiscebunt, donec  
 5. eod. lectio confirmata fuerit. Ut occurrat  
 Quam sit Ec- longis Ecclesiarum vacationibus, electo-  
 cles. res protinus electionis litteras electo pro-  
 rigent, qui intra mensis spatium in eam  
 consentire, ejusque confirmationem in-  
 tra tres menses postulare tenebitur. Il-  
 le, qui suffragium suum dederit indigno,  
 eligendi jure non privabitur, si electio  
 secuta non fuerit. Qui autem suum suffra-  
 gium cuidam tulerit, cujus electio succes-  
 serit, non admittetur amplius ad eam im-  
 pugnamdam, nisi ob vitium, quod proba-  
 biliter potuerit ignorare.

*Perpetua  
Sanct.*

*Nulli licet.*

*Siquando.  
Quamvis  
Const.*

In electionis discordia, si duæ tertiam  
 ab uno stabunt, reliqua tertia contra  
 electionem aut electum quidpiam movers  
 non audietur. Etsi Alexander IV. de-  
 claraverit, appellationes de electionibus  
 tanquam causas majores ad Sedem Apo-  
 stolicam deferendas esse: nihilominus, si  
 appellatio extra judicium interposita ma-  
 nifesto frivola sit, contrarium decerni-  
 mus. Hac autem electionis in materia  
 semper est licitum ab appellatione desis-  
 tere,



stere, dummodo sine fraude id fiat. Ad-  
 vocati & procuratores juramentum di-  
 cent, se non nisi causas æquas defen-  
 sos esse, ac singulis illud armis repetent.  
 Advocatorum præmium quacunque in  
 causa viginti libras Turonicas, & procu-  
 ratorum merces libras duodecim non  
 excedet. Episcopi, qui alienæ diœcesis  
 Clericos consecraverint, per anni spa-  
 tium a conferendis Ordinibus abstin-  
 ebunt. Monitio Canonica debet admoni-  
 ti nomen exprimere. Absolutio cautio-  
 nis non habet locum in interdictis loca-  
 libus. Quædam e constitutionibus tunc  
 promulgatis usque ad nos haud pervenit.  
 Postquam lectæ fuerant, Papa Concilium  
 alloquens permittebat, ut Præsules se-  
 xies mille passus Lugduno discederent.  
 Futuræ sessioni diem non præfixit ob  
 dubium Græcorum adventum. Sic fini-  
 ta est tertia sessio.

## §. XXXIX.

*Josephus Patriarcha Constantinopo-  
 lim relinquit.*

Videamus modo, quid rerum Constanti-  
 nopoli actum sit ex eo tempore, quo  
 Imperator Michael Papæ Nuncios remi-  
 sit. Delegit Legatos ad Lugdunense  
 Concilium, qui erant Germanus vetus  
 Patriarcha Constantinopolitanus, Theo-  
 ph-

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1274.

*Properan-  
 dum.*

*Eos, qui  
 Cler. Consti-  
 tutionem.  
 Præsenti ge-  
 ner. Exigit  
 mult.*

*Sup. §. I.  
 Pachym. l. 5.  
 c. 57.*

Rr 4

pha-



Sæcul. XIII. phanes Metropolita Nicænus; inter Se-  
 A. C. 1274. natores Georgius Acropolita, magnus  
 Logotheta, qui antecedentium Impera-  
 torum historiam scripsit, Panaretus Præ-  
 fectus vestiarii, & magnus interpretis co-  
 gnomine Bereas. Conscenderunt trire-  
 mes duas, duo Præsules alteram, alte-  
 ram Imperatoris Legati præter grandem  
 Logothetam: ferebantque multa secum  
 munera pro templo S. Petri, ornamenta,  
 imagines in textis aureis, compositiones  
 pretiosæ odorum materiæ; insuper tæpe-  
 tem coloris rosei filis aureis illusum, &  
 margaritis confitum, qui ad aram fan-  
 ctæ Sophiæ principem destinatus fue-  
 rat.

Cum aucti essent, Imperator, quia  
 de gradu dejicere Patriarcham Josephum,  
 a quo Ecclesiæ redditus esset, in ani-  
 mum inducere nequibat, pactionem cum  
 eo fecit, ut relicto palatio suo in mona-  
 sterio Peribleptanum se reciperet, privi-  
 legia servaret sua, & porro nominaretur  
 in precibus. Si negotium cum Latinis  
 quacunque de causa non procederet, in  
 palatium rediret suum, nec Episcopos  
 ob præterita odisset. Si vero res bene  
 verteret locum successori daret, quia non  
 crederet se reverti posse, quippe qui ju-  
 rasset, se in reconciliationem nunquam  
 consensurum esse. Secundum hæc pa-  
 cta Josephus in coenobium Peribleptanum se



se contulit 11. Jan. indictione secunda, Sæcul.XIII.  
 anno Græcorum 1782, anno 1274. A.C.1274.

## §. XL.

*Palæologi sollicitudo in reconciliandis  
 Ecclesiis.*

Cum interea Veccus Patrum locos sæpius pro se attulisset, nec tamen suam ad sententiam traduxisset Episcopos, Imperator haud parum metuens, ut in reconciliationem consentirent, accusabat eos, quod detrectantes obedientiam ipsum diris devoverent ob violentiam illatam iis, qui cessissent, & quibus hoc exprobrassent. Experturus tamen, iterum, an non eos per lenitatem sibi posset adjungere, convocatos circa se considerare iussit, Pacem, inquit, quaero, ut crudelia devitem bella, & Romanorum sanguini parcam; non ut quidquam mutem in Ecclesia. Jam vero nostra cum Latinis consensio tribus continetur rebus, primatu, appellationibus, & Papæ nominatione in precibus: quæ singula rite perpenſa in nihilum abeunt. Quando enim Papa huc veniet primam capturus sedem? Quis jura sua persequendi gratia transmittet mare, iterque tam longum faciet? Quid denique absurdi est in templo primario, dum Patriarcha rem divinam peragit, Papæ mentionem

c. 18.

Rr 5

nem



Sæcul. XIII. nem facere? Quoties Patres nostri simili  
A.C. 1274. lem indulgentiam adhibuere? Interim  
 ab iis, qui hanc admittunt, vos ipsi Episcopi dissentitis, ut audio: nos dividere cogitatis, nobisque maledicitis, quasi ulterius progredi velimus & vos per vim adigere, ut nostras mutetis consuetudines, ac per omnia Latinorum instar loquamini. Atque hoc est, quod nunc declarandum venit. Igitur quisque dicat, quid hac de re sentiat: nec suo iudicio privato insistat, sed bonum Ecclesiæ præ oculis habeat!

Episcopi plane negabant se Imperatori male præcatos esse, offerentes se ad poenam, si convincerentur: fatebantur autem se discrepasse, quia cuius esset integrum sequi sententiam, quæ sibi æquior videretur, immo etiam ab ea discedere. Addebant, sibi per canones haud licere suam sententiam palam dicere absente Patriarcha, cui subditi essent: dicturos tamen singulos privatim, si interrogarentur. Ergo rogabat eos Imperator: & quidam omnia tria puncta renuit, receptam traditionem pro posteris conservandam causatus. Quod si discrimen immineret Imperio, hujus curam Episcopus haud tangere, nisi ut orarent Deum: sed Imperatoris esse, ut securitatem publicam aliis procuraret modis. Aliqui concedebant primatum & appellationem.



lationem, quippe quorum permissio solis  
 verbis fieri posset: sed Papæ nominatio-  
 nem in precibus asserebant fore commu-  
 nionem cum iis, qui fidei symbolum mu-  
 tassent. Magnus Oeconomus Xiphili-  
 nus pro confidentia, quam ex suo senio  
 & familiari cum Imperatore commercio  
 sibi fumebat, ejus genua amplectens ob-  
 testabatur, ut caveret, ne, bellum ex-  
 ternum avertere dum conaretur, pericu-  
 losius domi concitaret.

Imperator per dies aliquot quiescens,  
 Ecclesiasticos magno inter se diffidio agi-  
 tari comperit, cum ii, qui contumaces  
 in schismate perstitissent, illique, qui  
 cessissent ipsius sollicitationibus, se mutuo  
 tanquam execratione devinctos respice-  
 rent. Tum de submissione sibi debita  
 scriptum composuit, & ab omnibus sub-  
 signandum curavit, ut dicere posset ha-  
 bere se illorum nomina subscripta, quam-  
 vis hæc subjecta essent alii materiæ,  
 quam quæ in quæstionem venisset. Postea  
 per illorum domos inquisitionem jussit  
 institui, perhibens, eas omnes ad se  
 pertinere tanquam Constantinopolis ex-  
 pugnatores, seque gratuito eas dedisse  
 benevolis; sed hanc gratiam subtrahere  
 rebellibus, & locationis pretium pro usu  
 præterito poscere. Hoc sub obtentu a-  
 sportabantur utensilia: parabantur naves  
 in exilium mittendis fontibus: ac reapse  
 diver

Sæcul.XIII.

A.C.1274.

t. 19.



Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

diversas in insulas remotasque urbes a-  
vehebantur aliqui: nonnulli se submitte-  
bant Imperatoris arbitrio, & ante solutas  
anchors redierunt.

Clerus instans sibi periculum videns  
supplicabat, ut Imperator iræ suæ fulmi-  
na usque ad reditum Legatorum, quos  
misisset ad Papam, differret: sed preces  
omnes ad irritum cecidere. Contra ex-  
presse pronunciavit læsæ majestatis reos,  
quicumque non subscriberent. Et cum  
aliqui repugnarent veriti, nequid Impera-  
tor punctis reconciliationis adderet, de-  
clarationem auro signatam edidit, in qua  
sibi diras imprecans, si fidem falleret, per  
juramenta terrificam promittebat, se nemi-  
ni præcepturum, ut vel jota simbolo ad-  
jungat, nec petiturum quidquam aliud,  
quam tria puncta de primatu, appellatio-  
ne, & Papæ mentione in precibus; &  
quidem verbotenus solum ac per indul-  
gentiam. Admovebat ingentes minas  
omnibus, quotquot mandatum abnuerent.  
Illud per promissum liberati metu Eccle-  
siastici subscribere quibusdam exceptis,  
qui exulatum missi aliquamdiu post, quam  
se subjecerant, revocati sunt. Sic in Cle-  
ro tunc nemo fuit, qui morem non ge-  
reret.



## §. XLI.

Sæcul.XIII.  
A.C.1274.*Græcorum adventus ad concilium.*

Interim Legati conscensis ineunte Martio navibus sub ejus finem ad promontorium Malæum delati, inclinante in vesperam die Cœnæ Dominicæ 29 ejusdem mensis, ibi naufragium fecere. Cum enim tempestas duas triremes separasset, nox obstabat, ne se conspicerent. Illa, quæ Patriarcham Germanum vehebat, altum petiit: altera id horrens remis legebat oram, ad quam allisa cum pretiosis Palæologi donis ac vectoribus excepto unico periit. Triremis Patriarchæ, cum ab interitu proxime abfuisset, postridie Methonem attigit, ibique per dies aliquot nuncium de fortuna alterius expectabat, cujus jacturam edocti Præsules ac Logotheta continuato itinere festo S. *To. XI. conc.* Joannis die 24 Junii Lugdunum advenere. *p. 957. E.*

His obviam ibant omnes concilii Præsules cum domesticis suis, Papæ cubicularii & tota domus, Pro-Cancellarius, cuncti notarii, servique Cardinalium universi. Cum illos usque ad palatium Papæ honorifice deduxissent, is in aula toto Cardinalium pluriumque Præsulum numero stipatus Legatos Græcos stans excepit & osculo pacis impertiit. Tra-

debant

c. 12.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

debant ei litteras imperatorias auro signatas, ac epistolas Præfulum, sequentem omnem obedientiam sanctæ Ecclesiæ Romanæ præstandi gratia, & fidem ejus agnitum venisse dicebant: postea in aedes abiere suas.

Festo SS. Petri & Pauli die 29 ejusdem mensis Papa in templo S. Joannis divinum celebrabat sacrificium in præsentia cunctorum concilii Præfulum. Epistola latino ac græco sermone legebatur: Evangelium Cardinalis Ottobonus Fiescus latine, tum quidam Diaconus Græcus more patrio vestitus græce cantabat. Cum dein S. Bonaventura concionem habuisset, latine canebatur symbolum, quod præcinebant Cardinales, templique Canonici prosequiebantur. Postmodo idem symbolum lingua græca solenniter cantabant Patriarcha Germanus, omnes Græci Calabriae Archiepiscopi, duoque pontificii expiationum Præfecti, Dominicanus alter, alter Franciscanus, græce scientes. Ter canebantur verba: *Qui a Patre Filioque procedit.* Exinde Patriarcha cæterique Græci patriæ linguæ versiculis Papæ laudes cantabant, qui continuabat rem divinam, & absolvebat, illis huic prope aram assistentibus.



## §. XLII.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1274.*Episcopi Leodiensis abdicatio.*

Papa 3 Julii Henricum Geldrum Episcopum Leodiensem, quem ad concilium venire jufferat, ad se vocavit. <sup>Hæsem. p. 298.</sup> Leodii, Hoji, Dinantii, & Trudoni incolæ pariter oratores ad concilium miserant, qui de Henrici exemplis pessimis, & corruptissima vita conquererentur. Papa, priusquam ex juris norma cum eo ageret, quæsit, an cedere ultro, vel expectare sententiam mallet. Episcopus sperans gratiam, pastorem annulum suum Papæ tradidit: qui hoc retento illum adiecit, ut dignitati suæ nuncium remitteret. Ajebant, Papam etiamnum memorem fuisse injuriæ sibi, cum Leodiensis Archidiaconus esset, ab Episcopo factæ, qui pleno Canonicorum in Senatu ipsius pectori calcem impegisset. Duodecim annos, postquam exauthoratus erat, superstes fuit. Interim Papa Joannem Angianum ab episcopatu Tornacensi ad Leodiensem transtulit, Stabletanam illi Abbatiam addens. <sup>p. 204.</sup>

## §. XLIII.



Sæcul. XIII.

A. C. 1274.

§. XLIII.

*Tartari comparent in concilio.*

*Cont. p. 95.* Quarto Julii Papa Cardinalium ac Præ-  
 sulum servos Lugdunum advectis  
 Abagæ Magni Tartarorum Cui Legatis  
 obviam misit, qui sexdecim numero pon-  
 tificium ingressi conclave, ubi præsentis  
 cuncti Cardinales, plurimique Præsules  
 cum Papa concilii res tractabant, Cui  
 litteris illi traditis, nationis suæ poten-  
 tiam magnificis verbis extollebant. Nec  
*Matth. Westm. p. 407* religionis causa, sed cum Christianis fre-  
 dus contra Musulmannos icturi venerant.  
 Eodem die Papa cunctis Præsulibus per  
 accensos suos denunciavit, quartam ses-  
 sionem proximo die Veneris fore.

§. XLIV.

*Sessio quarta. Græcorum reconciliatio.*

*6. Julii.* Illa reapse hac die habebatur, quæ se-  
 ptima Julii, & S. Petri octava erat. Le-  
 gati Græcorum ad dextrum Papæ latus  
 post Cardinales collocati sunt. Iidem ri-  
 tus, qui prima in sessione, ibi observaban-  
 tur. Cardinalis Ostiensis Frater Petrus  
 Tarantasinus Papæ tanquam Presbyter  
 assistens serviebat, & orationem sacram  
 dixit.



dixit. Tum Papa Præfulibus tres con-  
 vocati concilii causas exposuit, addens,  
 Græcos præter omnium fere opinionem  
 sponte sua ad Ecclesiæ Romanæ sinum  
 rediisse nihil temporale poscentes. Eo-  
 rum Imperatori, pergebat, scripsimus, ut,  
 nisi ultro se nobis subjiceret, Legatos mit-  
 teret, qui nobis ipsius postulata propone-  
 rent. Et is Princeps favente Deo præ-  
 termiſſis omnibus libere agnovit fidem ac  
 primatum Ecclesiæ Romanæ, Nuncios-  
 que miſit, qui nobis præſentibus id de-  
 clararent, ut diſerte docent illius lit-  
 teræ.

Tum Papa, quas Imperator Michaël,  
 Andronicus filius ejus natus major nuper  
 admodum in imperii societatem aſcitus,  
 Præſulesque ſcripſerant, epistoſas auro  
 ſignatas omnes ac latine redditas legi ju-  
 bebatur. Imperatoria mox initio primi  
 ſummique Pontificis, Papæ œcumenici  
 & communis Chriſtianorum omnium Pa-  
 tris titulos Gregorio tribuens continebat  
 profeſſionem fidei annis abhinc ſeptem ni-  
 mirum an. 1267 Michaëli miſſam a Papa  
 Clemente IV, & ad verbum transcriptam.  
 Tum addebat Imperator: Hanc Ecclesiæ  
 Romanæ fidem ut veram, ſanctam, ca-  
 tholicam, & orthodoxam recipimus; hanc  
 animo & ore proſitemur, hanc nos ſan-  
 cte ac perpetuo ſervaturos promittimus.  
 Agnoſcimus Romanæ Ecclesiæ prima-  
 tum,

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1274.  
 6. Julii.  
 p. 959.

p. 962.  
 Sup. lib. 85.  
 S. 45.  
 Rayn. 1267.  
 n. 12.  
 con. p. 966.  
 967.

*Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. XXI.* S s tum,



Sæcul. XIII.

A. C. 1274.

6 Jul.

tum, ut his continetur litteris : tantummodo rogamus, ut nobis symbolum ita dicere, ut ante schisma & hucusque semper dicebamus, ac tenere liceat nostras consuetudines ante schisma exercitas, neque vel huic fidei professioni, vel codici sacro, vel conciliis generalibus, vel Patrum traditioni a Romana Ecclesia approbatæ contrarias. Supra memorata omnia coram Sanctitate tua nostro nomine affirmandi potestatem Legatis nostris facimus.

Præsulum epistola Papam Gregorium solummodo Magnum ac excellentem apostolicæ Sedis Pontificem vocat, & scribentium sedes (non personas) nominat hunc in modum: Metropolita Ephesus  
 p. 968. Exarcha totius Asiæ meo cum concilio  
 Metropolita Heracleanus in Thracia cum  
 p. 969. Concilio meo. Metropolitanæ Chalcedonianus, Tyanensis, Iconianus, & ita reliqui numero viginti sex. Concilii sui nomine intelligunt Episcopos suæ jurisdictioni obnoxios. Sequuntur novem Archiepiscopi, & cum Metropolitanis conficiunt triginta quinque Præsules, qui cum subjectis sibi Episcopis sunt totus prope modum Clerus infulatus Patriarcham Constantinopolitanum agnoscens. Tum nominantur viri patriarchalis Ecclesiæ dignitatibus insignes; Magnus Oeconomus, Logotheta, Magister libellorum supplicum,



plicum, Primicerius cæterique totius Cle-  
ri nomine loquentes.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

6. Jul.

In ipsa epistola Præsules significant, quantam Imperator operam reconcilian- dis Ecclesiis, licet ipsorum aliqui repu- gnarent, dederit, adduntque: Patriar- cham nostrum efflictim oravimus, ut con- sentiret. Sed suum primatum nimis a- criter defendit, quam ut mutaret senten- tiam. Itaque cum Imperatore præcepi- mus, ut in quodam Constantinopolis cœ- nobio hæreret, donec Legati nostri tuæ Sanctitatis responsum audiant. Nisi a- liud tibi videtur, Nuncios cum nostris mittes. Si Josephum nostrum permo- vere possumus, ut sacræ Sedi honorem quondam præstitum adhibeat, eum, si- cut antea, pro Patriarcha habebimus. Si flecti nequeat, alium, qui primatum a- gnoscat tuum, in ejus locum substitue- mus.

p. 970.

Sup. f. 39.

Perlectis litteris Magnus Logotheta Georgius Acropolita Imperatoris nomine juramentum dixit, per quod ejurabat schisma & Ecclesiæ Romanæ fidem pri- matumque agnoscebat, perennem spon- dens constantiam. Tum Papa præcine- bat: *Te Deum*, quod prosequente choro erectus in pedes ac sine infula manebat, multas profundens lacrymas. Post pre- ces ordinarias in folio confedit suo, &

p. 959. 967.

S s 2

paucis



Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

6. Jul.

paucis ad Concilium verbis hac de confessione gaudendum dixit. Exinde Patriarcha Germanus ac Theophanes Metropolitæ Nicænus in inferiorem templi partem descendebant, celsasque occupabant sedes. Papa symbolum latine incipiebat, cumque absolutum esset, Patriarcha idem Græce inchoabat, & bis canebatur: *Qui a Patre Filioque procedit.* Dehinc Papa dicebat, Tartarorum Regem ad se Nuncios misisse cum litteris sibi de Concilio scriptis, quas jubebat legi, Tartaris interea ex adverso ad pedes Præfultum Græcorum stantibus. Denique Papa proximæ sessioni diem lunæ novam ejusdem mensis præstituit. Sic quarta sessio finita est.

## §. XLV.

*Constitutio de conclavi.*

7. Jul.

p. 960.

p. 9. 5.

Postero die sabbati septimo Julii Papa Cardinalibus monstravit constitutionem, quam de Papa eligendo fecerat in hunc modum. Papa mortuo in urbe, in qua cum sua curia residebat, præsentibus Cardinalibus expectabunt absentes per decem duntaxat dies, quibus elapsis in palatium, quod Papa incoluerat, convenient delecto unico quisque Clerico aut laico servo contenti. In eodem omnes conclavi sine intermedio pariete vel sipario habitabunt.



bitabunt ita undique inclusi, ut nemo e-  
gredi nisi ad locum secretum, nemo in-  
trare possit præterquam de consensu o-  
mnium Cardinalium præsentium & ob ea  
solum, quæ ad electionem spectabunt.  
Qui cuiquam eorum clam loquetur, aut  
scriptum mittet vel nuncium, in anathe-  
ma latæ sententiæ incurret.

Conclave tamen fenestram habebit a-  
liquam, per quam victus Cardinalibus  
commode subministretur: sed ingressus  
per eam nemini patebit. Si vero, quod  
absit, intra triduum post initum conclave  
Papam nondum elegerint, sequentibus  
quinque diebus pro prandio æque ac cœ-  
na unico contenti ferculo erunt. Sed  
post id spatium præter panem, vinum, &  
aquam nihil eis dabitur, donec electio  
facta fuerit. Quamdiu in conclavi hæ-  
rebunt, nec de ærario apostolico, nec de  
reliquis Ecclesiæ Romanæ proventibus  
quidquam accipient. Nullum aliud  
quam electionis negotium agent, præter-  
quam in periculo, vel alia necessitate a-  
perta.

Siquis Cardinalium conclave non in-  
greditur, aut inde sine morbo manifesto  
exit, non eo recipietur amplius: & abs-  
que illo ferentur suffragia. Si sanatus re-  
dire velit, aut si alii absentes post dies de-  
cem supervenerint re adhuc integra sci-  
licet ante electionem ad negotium, prout

S s 3

tunc

Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

7. Jul.

p. 959.



Sæcul. XIII. tunc erit, admittentur. Si Papa extra  
 A.C. 1274. urbem, in qua residebat, obierit, Cardina-  
 7. Jul. les in urbem episcopalem territorii, in quo  
 p. 977. mortuus fuerit, convenient, & conclave  
 in domo Episcopi vel alia sibi assignata  
 habebunt. Illius urbis Dominus vel Ma-  
 gistratus omnia, quæ supra diximus, ob-  
 servabit; nec majorem severitatem Car-  
 dinalibus adhibebit, sub anathematis, in-  
 terdicti aliisque pœnis, quas Ecclesia  
 gravissimas irrogare potest. Cardinales  
 nec pacto, nec jurejurando, aliove modo  
 obligationem in se ullam suscipient, quam  
 p. 978. declaramus irritam; sed bona fide abs-  
 que præjudicata opinione ac sine affe-  
 ctione privata in suffragium ibunt solum  
 Ecclesiæ emolumentum præ oculis ha-  
 bentes. Per totum orbem Christianum  
 pro electione Papæ preces publicæ  
 fient.

p. 960. Hæc Gregorii sanctio cum Cardina-  
 libus communicata materiam præbuit  
 dissensionem hos inter ac illum factæ, quæ  
 occulta primum erat, sed postea in vul-  
 gus manavit. Nam & Papa Præfules  
 sine Cardinalibus ad se vocabat, & Car-  
 dinales senatum quotidie sine Papa ha-  
 bebant. Orabant etiam quosdam Præ-  
 fules, ut, si Papa ipsorum consensum in  
 suam constitutionem peteret, hunc dif-  
 ferrent, donec rationes contrarias audiis-  
 sent. Præterea multi Cardinales a Præ-  
 fulis

v. Bzov.  
 1274. n. 7.



fulibus secundum nationes ad se accitis Sæcul. XIII.  
 consilium hac de materia, & in necessita- A.C. 1274.  
 te auxilium postulabant. Papa Præsu- 7. Jul.  
 libus accersitis intentionem exposuit  
 suam, postquam sub anathematis poena  
 vetuerat, ne rem proderent. Sic eos ad-  
 duxit, ut consentirent in sanctionem, sua  
 ei sigilla imprimerent, suasque de eadem  
 litteras ad quamvis provinciam darent.  
 Hoc negotium fecit, ut sessio publica us-  
 que in diem lunæ 16 Julii prorogaretur.

## §. XLVI.

*S. Bonaventuræ obitus.*

Interim pridie mane extinctus S. Bona-  
 ventura Cardinalis Episcopus Albanen- to. II. conc.  
 sis ob suam doctrinam, eloquentiam, vir- p. 960. C.  
 tutes & agendi modos tam amabiles, ut Vading. an.  
 omnium se videntium animos sibi concii- 1274. n. 14.  
 liaret, universum Concilium ingente sui  
 desiderio affectit. Eodem die Lugduni in  
 cœnobio sui Ordinis nempe Fratrum Mi-  
 norum sepultus est: ac exequiis ejus Pa-  
 pa cum tota curia Romana & cunctis  
 concilii Præsulibus aderat. Cardinalis  
 Petrus Tarantasinus Episcopus Ostiensis  
 Ord. Præd. rem divinam faciebat, & pro  
 sermonis sui themate sumebat hæc Da-  
 vidis verba: *Doleo super te frater mi Jo-* 2. Reg. 1. 26.  
*natha!* Tum ita dicebat, ut præsentis om-  
 nines in lacrymas solveret. S. Bonaven-



Sæcul. XIII. turæ non citius quam ducentis post an-  
 A.C. 1274. nis cælestes honores publicique decreti  
 sunt. Ejus memoriam 14 Jul. colit Ec-  
 clesia.

## §. XLVII.

*Quinta sessio.*

16. Jul.

Concilii sessio quinta die lunæ 16 ejus-  
 dem mensis erat. Priusquam Pa-  
 pa templum intraret, Cardinalis Ostien-  
 sis in præsentia cunctorum Præsulum de  
 Legatis Tartaris unum cum duobus ipsius  
 focis sacro fonte abluit: & Papa cocci-  
 neas eis vestes Latinorum more confici  
 curavit. Post ingressum Papæ ritusque  
 ordinarios legebantur quatuordecim san-  
 ctiones, quarum prima de conclavi age-  
 bat. Reliquæ sic sonabant. Siqua e-  
 lectio impugnatur, primum examinanda  
 sunt ea, quæ in electo carpuntur: atque  
 si adversarius eadem non demonstrat, de  
 reliquis omnibus non audietur. Si Ca-  
 nonici a divino officio cessare voluerint,  
 prius in patentibus litteris adversæ parti  
 exhibitis cessandi causam expriment, alioquin  
 adigendi ad restituendos fructus  
 cessationis tempore perceptos. Si cau-  
 sa judicetur esse canonica, ille, qui eam  
 præbuerit, damna Canonicis ac Ecclesie  
 illata sarciet. Damnatur detestabilis au-  
 dacia ad aggravandam cessationem cru-  
 ces

*Ubi pericul.*  
*c. 3. de elect.*  
*in sexto.*

*Si forte c. II*  
*cod.*

*Si canonici*  
*c. 2. de off.*  
*Jud. ord.*

*Sup. lib. 84.*  
*§. 53.*



ces Sanctorumque imagines humi positas spinis & urticis tegentium. Et tamen hunc morem a fine seculi sextiuisse legimus.

Concilium irritam facit absolutionem a censura quapiam per vim aut metum extortam, ab Ecclesia sejunctum declarans illum, qui eandem sic exegerit. Eandem poenam pronunciat in illum, qui male habuerit electores, quod non cooptassent eos, quos electos vellet. Interdicitur usus & concessio pignorationis specialim contra Clerum. Anathematis sententiam fert in illos, qui passi fuerint perimi, capi, aut vexari in corpore vel bonis Judicem ecclesiasticum, eo quod censuram aliquam Regi, Principi, Prætori, aut cuicumque irrogaverit. Sub eadem anathematis poena prohibetur, ne quis quantæcunque dignitatis vir denuo in Ecclesias jus regium aut defensionis titulum usurpet, ut hoc sub obtentu Ecclesiæ vacantis bona occupet. Qui hæc jura tanquam Ecclesiarum conditores aut per veterem consuetudinem possident, admonentur, ne illis abutantur, sive usum eorum ultra fructus extendendo, sive corrumpendo fundos, quos conservare debent. Hæc est prima, quam sciam, constitutio, quæ saltem tacite juri regio auctoritatem dederit.

Sæcul.XIII.

A. C. 1274.

16. Jul.

*Absolut. c.**un. de his**quæ vi met.**Sciant cuncti**c. 12. de elect.**Et si pigno-**rat. c. unde**injur.**Quicumque**c. 11. de sent.**excom.**General.**const. 13. de**elect.*



Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

16. Julii.

*c. Altercat.**un. de**Bigam.**c. Decret.**2. de immun.**c. Usurar.**1. de Usuris.**c. Quamq.**2. eod.**c. Hoc con-**sult.**2. de reb.**excl.**c. Statutum.**3. de præben.*

Bigamos omni Clericatus privilegio exutos volumus, ac inhihemus, ne tonsuram vestiumque genus Clericis proprium gerant. In templis regnet pietas, nec ibi societates profanæ consultationes habeant: indeque absint omnia, quæ divinum servitium turbare queunt. Feneratoribus manifestis, seu advenæ sint, seu ab advenis oriundi, nullæ locentur domus, sed intra tres menses illi extores fiant. Non detur eis absolutio, nec sepultura ecclesiastica, donec restituta, quibus debentur, sint omnia, vel cautiones necessariæ iis præstitæ fuerint. Præsules hominibus profanis suas Ecclesias, & bona immobilia, vel jura iis annexa sine consensu collegii, & absque permisso apostolicæ Sedis non subjiciant: alioquin pactum esse irritum, ac Præsules a munere suo ad tempus abstinere jubemus, & laicos anathemate ferimus. Beneficia in curia Romana ultra mensem vacantia Episcopus loci conferre potest. En sanctiones in quinta Lugdunensis Concilii sessione editas.

Postquam lectæ fuerant, Papa inæstimabili jactura, quam Ecclesia per obitum Cardinalis Bonaventuræ fecisset, exposita, præcepit, ut singuli Præsules, singulique per universum orbem Christianum Sacerdotes unum pro ejus anima sacrum, & alterum pro omnibus illis facerent, qui



qui aut venientes ad concilium, aut hu-  
 jus gratia Lugduni commorantes, aut in-  
 de redeuntes vitam cum morte commu-  
 tassent. Et quia Tartarorum baptismus  
 ac lectio sanctorum tempus absumpse-  
 rant, Papa monente hora, ut conventum  
 dimitteret, aliam sessionem in diem po-  
 sterum indixit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

conc. p. 961.

## §. XLVIII.

*Sessio sexta & ultima.*

Sexta igitur ac postrema sessio 17 Julii  
 cum haberetur, duæ constitutiones  
 ibi legebantur. Altera multitudinem  
 Ordinum religiosorum ita coërcebat. Con-  
 ciliium generale (anno 1215 collectum)  
 nimiam diversitatem Ordinum sapienter  
 inhibuit. Sed ab eo tempore illorum  
 multiplicationem preces importunæ apo-  
 stolicæ Sedi extorserunt. Præterea pri-  
 vatorum quorundam temeritas plures  
 Ordines, præsertim Mendicantium intro-  
 duxit, necdum approbatos. Quare omnes  
 hos Mendicantium Ordines post illud  
 concilium institutos, & a sacra Sede non-  
 dum confirmatos inhibemus, &, quan-  
 tum opus est, reteximus. Probatis vero  
 interdiciamus, nequem ad professionem ad-  
 mittant, ne novam accipiant domum, ne  
 quas habent, alienent: cum eas sacrae  
 Sedis arbitrio reservemus aut in bonum  
 Palæstinæ,

17. Jul.

c. Religio-  
 num I. de  
 relig. dom.

Sup. lib. 77.

§. 54.

Conc. Lat.  
 c. 13.



**Sæcul. XIII.** Palæstinæ, aut in alia pia opera conver-  
**A.C. 1274.** tendas. Vetamus etiam, ne horum Or-  
 dinum Religiosi conciones habeant, con-  
 fessiones audiant, ac extraneos sepeliant.  
 Nolumus tamen hanc sanctionem ad Or-  
 dines Fratrum Prædicatorum Minorum-  
 que extendere ob emolumentum evidens  
 in universam Ecclesiam inde redundans.  
 Carmelitas Eremitasque S. Augustini,  
 quorum institutio concilium Lateranenle  
 præcessit, in suo statu manere patimur,  
 donec aliud statutum fuerit. Inter Or-  
 dines Mendicantium per hanc constitu-  
 tionem suppressos numerantur Fratres  
 Saccati, alio nomine Fratres de Pœnitentia  
 Christi.

*The Valsing*  
*p. 45. Cange*  
*Gloss. Sacci.*  
*p. 655.*

*Cum sacros.*  
*conc. p. 961.*

Altera sanctio, quæ in eadem sessio-  
 ne promulgata fuit, non habetur amplius.  
 Cum lecta esset, Papa ad Præsules dixit,  
 e duabus convocati concilii causis duas  
 prosperum habuisse finem, scilicet terræ  
 sacræ negotium, ac Græcorum reconcili-  
 ationem. Quantum ad tertiam seu  
 correctionem morum attineret, Præsules  
 toti orbi afferre perniciem. Miramur, a-  
 jebat, quosdam non emendare pravam  
 vitam suam: cum alii, quorum pars ma-  
 la, pars bona est, muneris abdicandi co-  
 piam a nobis magnopere postulaverint.  
 Quapropter illos hortamur, ut se corri-  
 gant: hoc enim si agent, non erit opus  
 sanctionibus ad eorum emendationem:  
 alioqui



alioqui severe hanc urgebimus. Addebat se parœciis prompte provisurum, ita ut conferantur viris idoneis, & qui resideant. Aliis quoque malis opportuna se remedia allaturum spondebat, quod in concilio fieri non potuisset ob negotiorum multitudinem. Dictis deinde precibus ordinariis Papa præsentibus bene precabatur: sic finitum est secundum concilium Lugdunense.

Tribus post mensibus Papa constitutionum, quas ibi ediderat, compendium fecit, quo Christianum orbem in judiciis & scholis uti jubebat. Datum est 1 Nov. eodem anno 1274 ac ex punctis triginta & uno compositum, sexto decretalium postea insertis. Primum de fide agit, decisionem de processione Spiritus Sancti contra Græcorum errores continens. Cætera in sessionibus, in quibus promulgata fuere, retuli.

## §. XLIX.

*Ordo Servorum Mariæ.*

Decretum contra novos Ordines religiosos haud obstabat, quin Lugdunense Concilium ratum haberet Ordinem Servorum SS. Virginis, Florentiæ triginta quinque abhinc annis institutum. Primus ejus author fuerat Bonfilius Monaldus, qui cum sex aliis mercatoribus negotia-

Sæcul. XIII.

A.C. 1274.

conc. p. 974.

Chastelain

not. martyr.

p. 28.

Ferrarius

Catal.

8. Sept.

gotia-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.  
gotiatione posita 8 Septembris an. 1223  
in suburbium Camartinum se contulit:  
& anno sequente ultimo die Maji in vi-  
gilia Ascensionis hi septem & Sacerdos  
quidam, qui se ultro adjunxerat, cum Ar-  
dingus Florentinus Episcopus faustis ad  
Deum precationibus eos profecutus esset,  
Montem Senarium ab urbe bis mille pas-  
sibus distantem petierunt. Anno 1239  
Episcopus illis regulam S. Augustini tra-  
didit ac vestem nigram loco cinereæ, quam  
hucusque gestaverant. An. 1252 Bon-  
filius simplex Montis Senarii Prior voca-  
ri Præpositus Generalis cœpit: & anno  
sequente Papa Innocentius IV defenforem  
illis dedit Guilielmum Cardinalem Diaco-  
num tit. S. Eustachii. Bonfilius sanctita-  
tis fama inclytus 1 Jan. an. 1262 e vita  
discessit.

*Id. 23.*  
*Aug. Baillet*  
*cod.*  
Quintus hujus Ordinis Præpositus  
Generalis fuit Philippus Benitus pariter  
Florentinus, qui Parisiis navata medicæ  
arti opera reversus domum, & tanquam  
laicus a Bonfilio in Ordinem receptus, ali-  
quod temporis spatium in solitudine  
Montis Senarii traduxit. Suscepto ex  
obedientia Sacerdotio, in comitiis an.  
1267 Florentiæ habitis obtrusum sibi Præ-  
positi Generalis munus per annos decem  
& octo exercuit. Ordinem per Italiam  
Germaniamque extendit, atque si non  
conditor illius, saltem propagator præci-  
pius



puus habetur. Is est, qui hoc anno 1274 ad Lugdunense Concilium delatus, ibi approbationem sui Ordinis obtinuit, & confirmationem eorum, quæ ipse & antecessores pro illo erigendo fecerant. Obiit die Mercurii 22 Aug. an. 1285, nostra ætate a Papa Clemente X an. 1671 Sanctorum numero adscriptus.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

§. L.

*Decimæ pro Palæstina.*

Post finem concilii primas Papa curas ad charissimam sibi Palæstinam convertit: edoctusque Regem Philippum Audacem depositam, cum Tuneto rediret, crucem resumpsisse, Legato in Franciam misso Simoni Briensi Cardinali tit. S. Cæcilie primo Augusti die scripsit, ut bonam Regis voluntatem ac decimas a Concilio in sexennium concessas in bonum terræ sanctæ verteret, ac populos ad bellum sacrum e cathedris efficaciter animandos curaret. Per alias litteras 12 Octobris datas eum sic informat. Da operam, ut cruce signati per sinceram confessionem, & Sacramentum pœnitentiæ primum conscientias purgent suas, in peccata vetera ne relabantur, caveant, illicitis exactionibus premere subditos omitant, suis in victum vestitumque impensis modum adhibeant, considerentque, ad sum-

ap. Rayn.  
n. 35.

n. 37.



Sæcul XIII. sumptus expeditionis sacræ destinatam  
A.C. 1274. pecuniam esse stipem pro noxis mortuo-  
 rum templis relictam, & tantundem de-  
 trahi sustentationi pauperum, aræque mi-  
 nistrorum necessitatibus.

n. 40.

Etiam ad Archiepiscopos eorumque  
 Suffraganeos hac de materia epistolam  
 circummisit: cujus duo habentur exem-  
 plaria, Archiepiscopo Eboracensi alterum,  
 alterum Remensi inscripta. Utrique si-  
 gnificat, in concilio hanc maxime ob cau-  
 sam convocato statutas esse suppetias Pa-  
 læstinæ ferendas, seque generali trans-  
 missioni diem protinus præfixurum: &  
 mandat, ut militiam sacram dicecesum  
 suarum populis inculcent cum plena no-  
 xarum poenarumque venia, cæterisque  
 cruce signatorum privilegiis ordinariis.  
 Dabat 17 Septembris.

n. 43.

Post mensem nempe 23 Oct. sanctio-  
 nem edidit, per quam decimas a Concilio  
 imperatas moderabatur, hoc onere pror-  
 sus eximens lepris infectorum & hospita-  
 les domos, sicut etiam Virgines Deo di-  
 catas, quarum redditus essent tam modici,  
 ut hos supplendi causa mendicare publi-  
 ce cogerentur; atque Clericos secula-  
 res, quorum proventus ecclesiasticus se-  
 ptem libras Turonicas non excederet.  
 Verum omnes hi apparatus ad bellum  
 sacrum effectu caruere: nec ulla expe-  
 ditio



ditio generalis ob Palæstinam suscepta  
fuit amplius.

Sæcul.XIII.  
A.C.1274.

## §. LI.

*Papa Rudolphum agnoscit Regem  
Romanorum.*

Eodem tempore Papa litem de Occi-  
dentis Imperio e maximis belli sacri  
obstaculis unum, quod non præviderat.  
tollebat. Nam Alphonfus Castellæ Rex  
eo semper aspirabat, post Richardi Angli  
obitum non esse sibi competitorem am-  
plius, & Rudolphum Habsburgicum da-  
mno suo eligi haud potuisse perhibens.  
Papa tuebatur Rudolphum, spe captus,  
fore, ut is tesserariæ crucis exercitum  
ducat: scripsitque Alphonso plures litte-  
ras humanas admodum, sed urgentes; *Ragn. n. 45.*  
in quibus persuadere illi studebat, æqui-  
tatem ac ipsius honorem, ut peculiari  
commodo suo commune Christiani orbis,  
ac præsertim terræ sacræ bonum præ-  
poneret, postulare, ipsumque nullum  
reapse jus habere ad Imperium, cum A-  
quisgrani Rudolphus, non vero ipse, co-  
ronatus esset. *n. 54.*  
Nondum cedens Alphon-  
sus Papæ significavit, se ipsi & affore  
coram, & instar majorum suorum per o-  
mnia semper pariturum esse.

Interim Papa Rudolpho ita scripsit:  
De consilio Cardinalium te nominamus *n. 55.*

*Hist. Eccles. Tom. XXI.*

T t Ro-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

Romanorum Regem, hortamurque, ut te præpares ad coronam imperatoriam nostris e manibus accipiendam; id quod brevi futurum speramus. Dabat 27 Sept. n. 56. Et aliam per epistolam illum oravit, ut Terrarum suarum partes ipsi propinquiores, cum primum posset, adiret, suumque illuc adventum ipsi indicaret.

§. LII.

*Concilium Salisburgense.*

to. II. Conc. P. 999. Paulo post Lugdunense concilium Fredericus Archiepiscopus Salisburgensis & sacrae Sedis Legatus concilium provinciale habuit, cui intererant quinque Suffraganei ejus, nimirum Leo Ratisbonensis, Petrus Passaviensis, Bruno Brinxinensis, Wernhardus Secoviensis, & Joannes Chiemensis. Ibi statutum est, ut Lugdunensis Concilii sanctiones in Salisburgensi provincia promulgarentur una cum illis, quas ejusdem provinciae concilium anno 1267 Viennæ per Legatum Guidonem Cardinalem tit. S. Laurentii celebratum fecisset, & quarum observationem jam sustulisset septem annorum spatium. Præterea Salisburgense Concilium supra viginti quatuor canones condidit, quorum memorabilissimos hic en subjicio.

Ibid. p. 858.

Sup. l. 85.  
§. 56.

Cum



Sæcul. XIII.  
A.C. 1274.

Cum Abbates Benedictini Salisbur-  
genſis provinciæ ſua comitia provincia-  
lia longis retro temporibus omiferint, &  
ideo labefactæ fuerint regulares obser-  
vantia, mandamus, ut proxime futuro  
Paſchate illi ea obeant: alioqui nos hunc  
Ordinem in proximo concilio provinciali  
emendabimus. Imperamus, ut iidem  
monachos fugitivos vagosque revocent:  
& in quovis monaſterio carcer fiat, cui  
monachi desperatæ correctionis, vel a-  
trocium criminum rei includantur. Sed  
nec obſtent Abbates, quin monachi ad  
Ordinem aſperiores tranſeant. Abba-  
tes monachos ſuos ad alia cœnobia non  
mittant niſi ob cauſam gravem & ab E-  
piſcopo approbatam. Nec ornamenta  
vel functiones epiſcopales ſibi vendicent,  
niſi privilegia nobis commonſtrent ſua.  
Canonici Regulares eadem pro ratione  
Ordinis ſui obſervent, præſertim illud,  
quod ad habenda comitia provincialia  
attinet. Nulli Religioſorum liceat elige-  
re ſibi conſcientiæ arbitrum extra ſuum  
Ordinem ſine ſingulari Antiftitis ſui per-  
miſſu. Siquis Religioſus ad evitandam  
correctionem cujuſquam hominis profa-  
ni opem imploraverit, in carcere, quam-  
diu Præpoſito videbitur, erit, ab omni  
deinceps munere monaſtico excluſus.  
Nullus Præful, aut Parochus, aliusve  
marem aut fœminam tondeat, vel reli-  
gioſa

c. 1.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

c. 20.

c. 21.

c. 25.

T t 2

gioſa



Secul. XIII.  
A.C. 1274.

c. 16.

giofa veste induat approbatæ cuidam regulæ certoque loco se non addicentem. Secus agentes, & vagandi gratia religiosam gestantes vestem censuris ecclesiasticis coerceantur. Inter vagos erant, qui se litterarum studiosos Clericosque dicerent, Ecclesiis ac monasteriis molestias facefferent, stipem veris pauperibus debitam per suam importunitatem acciperent, denegantibus contumelias imponerent magna omnium offensione. His Concilium duos menses, intra quos honestum vitæ genus amplectantur, tribuit, vetatque, nequod eis postea feratur auxilium?

c. 17.

Non fiat in templis ludus, qui episcopatus puerorum dicitur: nisi forte illum revera pueri vel adolescentuli sexdecim ad summum annos nati exerceant. Qui Clericum monachumve iussu Antistitis inclusum effracto liberabit carcere, ipso facto in anathema incidet: atque si fieri poterit, in locum sic emissi substituatur. Siquis Episcopus captus detinebitur, in tota provincia Salisburgensi cessatio a divinis erit, postquam rumor hac de violentia manaverit in vulgus. Advocati Ecclesiarum commonerentur, ne illas ultra solitam servitutem opererent: alioquin eorum injuria per justitiam arcebitur. Clerici, qui parœcias aliave beneficia prius a laicis quam ab

c. 14.

c. 22.

c. 24.

c. 23.

Epi-



Episcopo acceperint, suum amittent Sæcul.XIII.  
 jus, & in anathema latæ sententiæ in- A. C. 1275.  
 current. Plurium beneficiorum possessio  
 inhibetur: sed sufficit gratiam legis fa- c. 7.  
 ctam ostendere. Retexitur potestas au- c. 6.  
 diendi confessiones noxarumque pœnas  
 condonandi, quæcunque variis Religio-  
 sis ab Episcopis prioribus data fuerit:  
 saluum tamen jus tribuendæ novæ facul-  
 tatis arbitrio Episcoporum relinquitur.  
 Speciatim prohibetur stipis coactorum  
 indulgentias circumferentium receptio  
 absque consensu Episcopi.

§. LIII.

*S. Raymundi Pennafortii obitus.*

Alphonsus Castellæ Rex in Franciam  
 iturus ad Papam Barcinonem venit  
 cum Arragoniæ Rege Jacobo, ibique na-  
 talibus Christi feriis an. 1274 transactis  
 anni sequentis initio S. Raymundi Pen-  
 nafortii exequiis adfuit. Hic sanctus vir Mariana  
 extincto B. Jordano Magister Prædicato- lib. 13. c. 22.  
 rum Generalis electus, post biennium, p. 535.  
 nempe an. 1240 in vigesimis comitiis Sup. l. 83.  
 generalibus Bononiæ habitis deposito §. 62.  
 munere Barcinonem rediit, ubi triginta Boll. 7. Jan.  
 quatuor annos litteris ac pietatis exer- t. 1. p. 406.  
 citiis occupatus egit. Fratrum Prædi- p. 410.  
 catorum constitutionibus in ordinem re-  
 ductis, in usum arcanorum Judicum Sum-



Sæc. XIII.  
A.C. 1275.

p. 412.

p. 417.  
Martyr. R.  
7. Jan.

mam Casuum Conscientiæ composuit, primum, quod sciam, hujus generis opus. Etiam inquisitionis Arragoniæ institutio totius Hispaniæ prima illi adscribitur. Consulebatur undique, ad conciliandos sibi secum versantium animos mire idoneus. Centum propemodum ætatis annos numerans die Epiphaniæ 6 Jan. an. 1275. ad Deum excessit. Justa funebria ambo Reges multique Præsules sua præsentia condecorabant: & quia complura de illo miracula in vita & post obitum edita referebantur, Rex Arragoniæ jam tum coepit eo conniti, ut cælestes illi honores decernerentur. Quod tamen non nisi trecentis post annis a Papa Clemente VIII. factum; & septimus Januarii ejus memoriæ consecratus est.

§. LIV.

*Alphonsus Imperio longam salutem dicit.*

Rayn. n. 14.  
15.

Rex Castellæ octavo post Pascha die nimirum 21 Apr. Galliam ingressus Belicadrum se contulit, ubi cum Papa per aliquot menses miscebat colloquia; sed incassum. Papa se a Rudolpho stare aperte professus, ejus electionem constanter tuebatur: ac Rex Alphonsus se legitime electum semper affirmans, cum in Hispania



Hispaniam rediisset, utebatur iterum imperatorio, quem deposuerat, cultu sigilloque ipso, quo muniebat litteras ad Principes Germaniæ Italiæque scriptas, ut eos suis adjungeret partibus. Quo comperto Papa Hispalensem Archiepiscopum per epistolam iussit, Regem coram testibus admonere, ut ab hac agendi ratione desisteret, alioquin censuris Ecclesiasticis afficiendus. Cum Archiepiscopus mandatum egisset, Alphonsus tandem desiit Imperii jus sibi asserere. Tum Papa ei decimas pro sumptibus belli contra Mauros, qui violenter ipsum impugnabant, concessit: atque hoc est, quod eum in causa dignitatis imperatoriæ tractabiliorem reddidit.

Sanctius Arragonum Regis filius naturalis, Toletanus Archiepiscopus huic bello strenuam dabat operam: etenim collegit tesserariæ crucis copias, & in ethnicos duxit. Quod Papa, cum Belicadri ageret, edoctus ei scripsit, tantum fervorem magnis extollens laudibus. Dabat 5 Sept. Sed Archiepiscopo in pugna cæso ethnici caput manumque lævam, qua suum annulum pastorem tenebat, absciderunt.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1275.

n. 16.



Sæcul XIII.  
A. C. 1275.

§. LV.

*Litteræ pontificiæ contra Lusitaniam  
Regem.*

**E**odem tempore Papa contra Alphonsum III. Lusitaniam Regem terrificas edidit litteras hunc in modum scriptas. A longo tempore ad nostros antecessores & nos delatæ sunt graves querimonie de oppressis in Lusitanico regno Ecclesiis, quod tamen sacræ Sedi singulariter obnoxium est ac tributarium. Papa Honorius III. Regem Alphonsum II. ut compensaret injurias Braccarensi Archiepiscopo illatas, qui merito eum procripsisset, monuit jacturam ipsius regni iacturum minitans. Sanctio Alphonsi filio ac successori paternis vestigiis insistenti Papa Gregorius IX. similes exprobrationes fecit, severasque intendit minas. Innocentius IV. hunc Principem pejus semper pejusque agere videns, Alphonsum Sanctii fratrem, hodiernum Regem Lusitaniam, tunc Bononiæ Comitem a Proceribus populoque regni administratorem agnosci voluit, spe captus, hoc ejus opera in ordinem redactum iri.

*Rayn. n. 21.*  
*Sup. l. 82.*  
*§. 44.*

Alphonsus ad regni procurationem admissus se, si coronam quocunque titulo nancisceretur, certa postulata Parisiis a Præsulibus Lusitaniam sibi proposita obser-



servaturum juravit, ut apparet ex litteris tunc confectis. Sed tantum abfuit, ut juramento staret, ut Clerum & populum regni atrociter offenderet. Martino Archiepiscopo Braccarenfi aliisque Episcopis hac de re apud nos conquerentibus, plura Regi Alphonso adhibuimus monita, quæ bellis semper verbis elusit. Quapropter volumus, ut hic Princeps solenni jurejurando se adstringat ad observanda ea, quæ summorum Pontificum Honorii Gregorijque litteris & pactis Parisiensibus continentur. Spondebit successores suos intra annum conscensi folii promissum idem facturos esse, suasque hac super re litteras Archiepiscopo Braccarenfi, ac singulis regni Episcopis dabit. Ad idem juramentum adiget duos filios suos Dionysium & Alphonsum, suos administratos, eosque, quibus in posterum munera committet. Archiepiscopo ac Episcopis, qui persecutendæ hujus causæ partem ceperunt, securitatem præstabit.

Si Rex post cognitum hoc decretum tres intra menses imperata non fecerit, loca omnia, in quibus aget, interdicta divinis erunt; post mensem in anathema incurret, quod jam nunc in eum pronunciamus; post mensem alterum interdictum totam Lusitaniam & Algarbiam percellet; post alios tres menses subditi

T t 5

omnes

Sæcul.XIII.  
A.C.1275.



Sæcul. XIII. omnes a juramento fidelitatis absoluti,  
A.C. 1275. & ab exhibenda ei obedientia liberi erunt.  
 Quamdiu persistet in sua contumacia, non  
 illi licebit exercere suum jus nominatio-  
 nis ad beneficia sacerdotalia. Dabat Be-  
 licadri 4 Sept. an. 1275. Sed Papæ de-  
 cessus post menses quinque factus decre-  
 ti executionem stitit: nec effectus ma-  
 gnus inde sperandus erat: juramenta  
 pro perjuris, ac ecclesiasticæ censuræ  
 pro contemptoribus imbecilla sunt reme-  
 dia.

## §. LVI.

*Rex Arragonum reprehenditur.*

*ap. Rayn.*  
*n. 28.*

Jacobus Arragoniæ Rex quamvis gran-  
 dævus & morti propinquus pergebat  
 apud se palam detinere fœminam, quam  
 merito abstulerat. Hac super re illi Pa-  
 pa Gregorius Belicadro 25 Julii scripsit,  
 inter alia dicens: Non cogitas tibi sal-  
 tem in senio tuo deponendam fuisse hanc  
 cupiditatem, priusquam a te abeat; &  
 fidem Dominum inter ac subditum esse  
 mutuam debere; te vero hanc graviter  
 lædere retinendo ejus conjugem? Itane  
 ad iter in terram sacram te præparas, ad  
 quod te tam publice adstrinxisti. An  
 nescis, eluenda primum esse crimina, ut  
 servitium Deo gratum fiat? Proh! quan-  
 to te periculo exponis, qui exemplum  
 tam



tam perniciosum in statu tam eminente **Sæcul. XIII.**  
 præbeas! Finit exhortando, ut ne a **A.C. 1275.**  
 morte occupari se subito patiat, & ad-  
 ulterii sui sociam marito restituat: alio-  
 quin sibi necessitatem impositum iri mu-  
 neri suo faciendi satis.

Rex Arragoniæ hanc castigationem  
 haud æquo ferens animo Papæ respon-  
 sum reddidit, in quo factum minime ne-  
 gans extenuare circumstantias ejus co-  
 nabatur: nec erubescens se per eximiam  
 sceminæ formam excusare, eam non ra-  
 ptam per vim, sed sponte sibi addictam  
 esse perhibebat; illum, quem reliquisset,  
 non esse maritum ejus legitimum; eam  
 denique ad illum redire non posse sine  
 vitæ periculo. Papa respondit confu-  
 tando has malas excusationes, ac in fi-  
 ne oravit Regem, ut ab hac scemina se  
 prorsus disjungeret, ac post acceptas  
 ipsius litteras intra octo dies eam tutum  
 in locum abduci juberet, donec posset  
 ad maritum remitti suum. Alioquin fe-  
 rebat sententias anathematis in Regem,  
 & interdicti in loca, in quæ is aut ejus  
 concubina veniret. Dabat Viennæ 22  
 Sept. ac executionem mandavit Archie-  
 piscopo Tarraconensi & Episcopo Derto-  
 sano.

c. 31.

§. LVII.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1275.

§. LVII.

*Josephus Patriarcha Constantinopolitanus gradu movetur.*

*Pachym. l. 5.  
c. 21. Nic.  
Greg. l. 5.  
c. 2. Pach.  
c. 22. Sup.  
l. 69. §. 50.*

Interea Constantinopolis alium acceperat Patriarcham. A Lugdunensi concilio Legati Græci redierant contentissimi sibi præstitis illic honoribus & amicitiae signis, quæ Papa ipsis ac præsertim Præsulibus exhibuerat infulas annulosque pro more Ecclesiæ Latinæ dando. Postquam Constantinopolim una cum Papæ Nunciis exeunte autumno anni 1274. advenerant, agebatur de Patriarcha Josepho, ut inter Græcos convenerat, exauthorando: id quod non carebat difficultate, cum ille ultro non cederet. Igitur auditi sunt testes promissi, quod Imperatori fecerat, se, si reconciliatio feliciter eveniret, abcessurum a munere: atque hanc promissionem junctam jurjurando, quod dederat, se in reconciliationem nunquam consensurum, tantundem esse ac abdicationem judicabant. Episcopi, sedemque declarabant vacuam. Nona Januarii an. 1275. erat, qua cessatum est a nominatione Josephi publicis in precibus: ac sexta decima ejusdem mensis, qua Græci vincula S. Petri honorant, Papa Gregorius ibi nominari coeptus est in sacello palatii post Evangelium



gelium græce latineque cantatum. Pa-  
 triarcha Josephus e monasterio Perible-  
 ptano ad Lauram Anapliam Constantino-  
 poli quater mille passibus distantem tran-  
 siit.

At ejus abitus schisma novum crea-  
 vit in Ecclesia Græca jam per discessum  
 Arsenii scissa. Duæ factiones altera al-  
 teram a sacrorum communione seclusam  
 reputabant, ita, ut nec comedere nec  
 bibere simul, immo ne loqui quidem in-  
 ter se vellent. Augebant malum per fal-  
 sos nuncios, & judicia temeraria: popu-  
 lique curiositatem in materiis ipsius ca-  
 ptum superantibus excitabant. Ut Jose-  
 phus haberet successorem, viri plures e  
 monachis æque ac aliis memorabantur:  
 & primum pleraque suffragia favebant  
 Theodosio Villarduino Godefridi Achajæ  
 Principis filio, & Campaniæ Prætoris  
 pronepoti. Princeps appellabatur ob o-  
 riginem suam. A ritu Latino ad Græ-  
 cum transierat: ac extra regionem egres-  
 sus suam cuidam coenobio Montis Nigri  
 in Anatolia se inclusit, ubi assumpto si-  
 bi Theodosii nomine observantiam didi-  
 cit ac exercuit exactissimam. Post ali-  
 quot annos, cum Imperatori sui notitiam  
 dedisset, Constantinopoli Pantocratoris  
 Archimandrita evasit. Deinde Legatus  
 ad Tartaros missus, ut redierat, in Ho-  
 degini coenobii cellulam se abdidit. Hic  
 seces-

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1275.

*Psch. c. 23.*

*Sup. l. 85.  
 §. 1.*

*Pach. c. 24.  
 Ducang. sur  
 Ville Hard.  
 234. hist.  
 C.P. p. 193.*



Sæcul. XIII. secessus erat, ex quo eum producere vo-  
A.C. 1275. lebant Præsules in Sede Constantinopoli-  
 tana ponendum.

## §. LVIII.

*Joannes Veccus Patriarcha Constantinopolitanus.*

Sed quidam Episcopi putabant eam melius convenire Joanni Vecco, hujus Ecclesiae jam Chartophylaci simul ac Scerophylaci, magnae existimationis viro. Cum ad Imperatorem relata essent diversa suffragia, Veccum dignissimum censuit ac schismati tollendo idoneum per suam doctrinam, & longam rerum ecclesiasticarum experientiam. Is ergo electus est Patriarcha Constantinopolitanus a conventu Præsulum in templo S. Sophiæ die Dominica 26 Maji, quam Græci Patribus concilii Nicæni consecraverant, quos hodie sexto decimo Julii colunt. Veccus est inauguratus sequente Pentecostes Dominica 2 Junii an. 1275.

*Menol. 16.  
 Jul.*

Imperator se posse curam rerum ecclesiasticarum in eum trajicere ratus, suum ei auxilium, quoties opus foret, promisit, expectans parem ab eo comitatem. Adhæc favore dignos sibi commendandi copiam illi fecit, hac non abusurum confidens. Sed fallebatur. Nam  
 Vec-



Veccus in suis sollicitationibus nimium Sæcul. XIII.  
ardens plane volebat omnia, quæ posce- A.C. 1275.  
bat obtinere. Quodam die orabat pro  
homine, quem sciebat inique condemna-  
tum, sed contra quem Imperator præ-  
occupatus erat. Post vivam longamque  
disceptationem Patriarcha, Quid igitur?  
ajebat? non majorem Episcoporum ra-  
tionem duces, quam coquorum agaso-  
numque tuorum a quolibet nutu tuo pen-  
dentium? Sic locutus abjecto ad ejus  
pedes lituo, quem tanquam insigne di-  
gnitatis suæ gestabat, celerrime abiit.  
Imperator hunc agendi modum accipiens  
pro injuria eum revocari jussit. At ille  
nihil audit, & proximo se monasterio  
inclusum ibat. Alias die S. Georgii Im-  
perator in fine sacrificii accesserat ad  
communione; jamque ad eam acci-  
piendam manus extendebat: cum Pa-  
triarcha particulam panis sacri (benedi-  
ctum vocant) manu dextera tenens gra-  
tiam pro afflicto quodam postulavit; &  
illi petitionem esse tempestivam neganti  
dixit non dari tempus aptius ad imitan-  
dam Servatoris clementiam. Tum vero  
iratus Imperator sine communione reces-  
sit. Demum ne quotidie hujusmodi im- Pach. c. 25.  
portunitatibus expositus esset, utque  
Præsulis fervori modum poneret, qua-  
vis hebdomade semel tantum & quidem  
die



Sæcul. XIII. die Martis aures illi præbere statuit:  
A. C. 1275. nec ab hoc more deflexit unquam.

## §. LIX.

*Diecefes Valentina & Diensis uni  
 eidemque Episcopo in perpetuum  
 subjiuntur.*

Papa Gregorius Belicadro proficiscens  
 Laufannam, ut hoc loco cum Impe-  
 ratore Rudolpho colloqueretur, Viennæ  
 in Delphinatu cum ageret, Episcopatus  
 Diensis cum Valentino conjunctionem  
 longo tempore optatam fecit, Ecclesiæ  
 posteriori, cui sua in juventute servierat,  
 singulariter addictus. Anno 1274 Gui-  
 do Monlaurius Canonicus Ponienfis in  
 Episcopum Valentinum electus, & a Pa-  
 pa Gregorio confirmatus fuerat; cujus  
 inter comites Belicadri erat. Sed sta-  
 tim postea Tarasci mortuo Papa Ama-  
 deum Ruscinonensem suffecit. Is nobi-  
 li genere in Delphinatu ortus, a puero  
 monachus ad S. Claudii in Burgundiæ Co-  
 mitatu, deinde Abbas Saviniacensis  
 fuerat. Inter lacrymas, quod Episcopa-  
 tu indignum se crederet, repugnantem  
 Papa ipse Viennæ consecravit, his solatus  
 verbis: Ne metue! Tu es ille, per quem  
 pristinam recipiet formam spoliata hæc  
 Ecclesia. Amadeus in sua dignitate mo-  
 nasti-

Rayn. 1275.  
 n. 35.

Gall. Chr.  
 to. 2. p. 1114.



nasticam vestem, victumque ac reli- Sæcul. XIII.  
 quam observantiam, quantum poterat A.C. 1275.  
 tenebat.

Hic ipse fuit, in quo Papa Gregorius  
 Episcopatus Valentino Diensem junxit,  
 quem tunc temporis Amadeus Geneven-  
 sis Amadei Ruscinonensis avunculus pos-  
 sidebat. Conjunctionis causas Papa ex-  
 ponit in diplomate, quod Viennæ 25  
 Sept. an. 1275 dabat, & in quo sic loqui-  
 tur: Ecclesias Valentinam & Diensem  
 violenta continuaque tyrannide a longo  
 tempore opprimunt harum dioecesium  
 viri nobiles ac populi, qui sæpe illarum  
 bona quidem diripuerunt, Episcopos au-  
 tem in exilium pepulere. Hac de re  
 querimonie ad Papam Gregorium IX  
 precesque delatæ sunt, ut Ecclesias illas  
 conjungeret, sociatis unico sub capite vi-  
 ribus vexantium ferociae facilius restitu-  
 ras. Motus his questibus Papa consti-  
 tuit viros, qui in necessitatem ac emolu-  
 mentum conjunctionis inquirerent, istam-  
 que, si Ecclesiis utilem censerent, ipsius  
 autoritate facerent. Cum Gregorii  
 IX mors, alique casus obstarent, ne hoc  
 mandatum executioni daretur, earun-  
 dem Ecclesiarum infectatio ad nostram  
 ætatem usque duravit, ut ipsi, cum infe-  
 riore in gradu staremus, vidimus, præ-  
 Hist. Eccles. Tom. XXI. Uu fertim



Sæcul. XIII. tertim quod ad Ecclesiam Valentinam  
A.C. 1275. attinet; videruntque &, quod dici solet,  
 manibus contrectarunt Fratres nostri Car-  
 dinales nobiscum his in locis agentes.

Considerantes igitur harum Ecclesia-  
 rum utilitatem manifestam, tantamque  
 propinquitatem, ut earum dioeceses non  
 solum in eadem provincia Viennensi sitæ,  
 verum etiam contiguæ sint, de consilio  
 nostrorum Fratrum hoc de negotio no-  
 biscum deliberantium ex plenitudine  
 potestatis nostræ illas per præsentis lit-  
 teras jungimus, volumusque, ut sta-  
 tu Præfulum eas modo regentium inte-  
 gro nec mutato, postquam alteruter ces-  
 serit, aut obierit, superstes agnoscat Ep-  
 piscopus Valentinus pariter ac Diensis, &  
 utramque deinceps Ecclesiam unus idem-  
 que Antistes perpetuo gubernet. Al-  
 ternis cooptabitur in his Ecclesiis, initio  
 in Valentina factis; & ambarum Cano-  
 nici ad ineunda simul suffragia tunc con-  
 venient, velut si unicum essent corpus:  
 sed in reliquis cunctis duo Collegia ma-  
 nebunt divisa. Omnia salvis juribus Ar-  
 chiepiscopi Viennensis illarum Ecclesia-  
 rum Metropolitanæ. Conjunctio sequente  
 anno 1276 post decessum Diensis Epis-  
 copi executioni mandata quadringentos  
 duodecim annos duravit ad nostram us-  
 que



que ætatem, qua duo episcopatus illi Sæcul. XIII.  
 denuo separati fuere, scilicet anno 1687. A.C. 1275.

## §. LX.

*Gregorii ac Rudolphi congressus  
 Lausannensis.*

Papam 6 Oct. Lausannam delatum die  
 S. Lucæ octavo decimo ejusdem men-  
 sis Romanorum Rex adiit cum Regina  
 conjuge cunctisque propemodum liberis  
 suis. Biduo post illi jurabat se omnia bo-  
 na & jura Ecclesiæ Romanæ tuitu-  
 rum, laturumque opem ad recuperandum  
 ea, quæ illa non possideret, sicut etiam  
 ad defendendum jus ejus in regnum Si-  
 culum. Huic juramento aderant se-  
 ptem Cardinales; inter alios Petrus Ta-  
 rantasinus Episcopus Ostiensis, & Otto-  
 bonus Fiescus Diaconus tit. S. Adriani;  
 quinque Archiepiscopi, Ademarus Lug-  
 dunensis, Otto Mediolanensis, Bonifacius  
 Ravennas, Jacobus Embrodunensis, &  
 Odo Vefuntinus; undecim Episcopi,  
 Joannes Leodiensis, Stephanus Parisinus,  
 Rudolphus Constantiensis, Henricus Ba-  
 fileensis, Guilielmus Lausannensis, Hen-  
 ricus Tridentinus, Amadeus Valentinus,  
 Raymundus Massiliensis, Aimo Geneven-  
 sis, Alanus Segesteronensis, ac Gerardus

Ann. Colm.  
 Rayn. n. 37.



Sæcul. XIII. Virodunensis. Denique multi Germaniæ  
A.C. 1275. Principes hujus jurisjurandi testes e-  
 rant; inter alios Ludovicus Comes Pala-  
 tinus Rheni & Bavariæ Dux, Fridericus  
 Dux Lotharingiæ, ac Fridericus Comes  
 Castellanus Norimbergæ. Rex Rudol-  
 phus spondebat se idem juraturum de-  
 nuo, antequam coronam acciperet impe-  
 ratoriam: fecitque in templo Lausannensi  
 20 Oct. 1275.

n. 38.

Postero die promulgavit edictum, in  
 quo permittit, ut Collegia Præsules liber-  
 rime cooptent, & tanquam rem indignam  
 rejicit consuetudinem occupandi bona  
 Præsulum mortuorum, vel Ecclesiarum  
 vacantium ab antecessoribus suis intro-  
 ductam. Concedit etiam libertatem ap-  
 pellandi ad sacram Sedem, suumque ad  
 extirpandas hæreses auxilium pollicetur.  
 Iterat suum promissum conservandi pa-  
 trimonia Ecclesiæ Romanæ, additque, se  
 nunquam accepturum dignitatem vel mu-  
 nus quodpiam, quod sibi potestatem in illa  
 loca, nominatim in urbem Romanam tri-  
 buat. Se Romanæ Ecclesiæ clientibus  
 beneficiariis ac speciatim Carolo Siciliae  
 Regi nullam allaturum offensionem, cu-  
 raturumque, ut Germaniæ Principes om-  
 nia promissa ipsius rata habeant. In  
 hoc ipso congressu Lausannensi Rudol-  
 phus

n. 42.



plus symbolicae crucis militiam inuit ro- Sæcul. XIII.  
 gante Papa, qui sacrum urgebat bellum, A.C. 1275.  
 & Palæstinam ipse petere, vitamque ini-  
 bi suam finire cogitabat. Cum Rege Ru- Ann. Col-  
 dolpho tesserariam crucem induerunt Re- mar.  
 gina conjux, Comes Ferretanus & uxor  
 ejus, ac totus fere Nobilium ordo, qui ad  
 Papæ aulam venerat.

## §. LXI.

*Mors Papæ Gregorii X.*

Papa Lausanna in Italiam rediens Se-  
 duni Valesiorum Archiepiscopo Em-  
 brodunensi mandavit, ut in Germania  
 sex annorum decimas ad expeditionem  
 sacram destinatas colligi curaret. Dein Rayn. n. 43:  
 de Mediolani commorans electo Episco- n. 44.  
 po Virodunensi similes ab Anglis exige-  
 re jusso scripsit, ut Anglicas, Wallicasque  
 ac Hibernicas Regi Eduardo tradendas  
 curaret, si hic Princeps cruce signatus i-  
 ter ipse susciperet.

Undecima Novembris erat, qua Gre-  
 gorius Mediolanum advenit, ubi magno  
 exceptus honore in cœnobio S. Ambrosii  
 habitabat. Omnibus ibi spectandum se Corio. 2. par.  
 dabat humaniter, multasque indulgen- p. 3 II.  
 tias orantibus concedebat. Sed die de- Rayn. n. 45.  
 dicatæ SS. Petri & Pauli Basilicæ Roma-



Sæcul XIII.  
A C. 1276.

*n. 46. 47.*  
*Ric. Malefp.*  
*c. 102.*

*Sup. S. 23.*

næ 18 Novembris in templo S. Ambrosii censuras omnes a Papa Clemente IV contra Mediolanum pronunciatas repetiit, ne per tempus abrogatæ videri possent. Mediolano Placentiam, & inde Florentiam 18 Dec. delatus, urbem intrare noluit, quia divinis interdicta, & cives ab Ecclesiæ corpore segregati erant ob neglectam pacem, quam duobus abhinc annis apud eos transiens Guelfos inter ac Gibellinos confecerat. Sed cum Arno pluvius auctus vado trajici nequiret, urbis pontem transmittere coactus, sublatistum quidem censuris, populo intrasitu bene precabatur. At transvectus incolas denuo abdicavit cum indignatione dicens hunc psalmi versiculum:  
*Pf. 31. 9. In camo & freno maxillas eorum constringe!*

*Papebr.*  
*conat.*  
*Rayn. 1276.*  
*n. 3. 4. & c.*

*Boll. 10 Jan.*  
*to. 1. p. 620.*  
*Chastelain.*  
*not. Mart.*  
*p. 162.*

Hinc Aretium profectus Papa Natalis Christi ferias ibi transegit. Sed morbo extinctus est 10 Januarii an. 1276, cum sacram sedem quatuor annis, duobus mensibus, & quindecim diebus tenuisset. In cathedrali Aretii æde S. Donato dedicata sepultus plura eodem anno miracula precibus suis impetrasse dicitur, & Sanctus creditur in illa regione. Novum templum cathedrale sequente seculo conditum ab eo nomen accepit: urbis



urbis populus festum ejus diem celebrat: Sæcul. XIII.  
 & continenter ardens ad ejusdem tumu- A. C. 1276.  
 lum lampas foveatur. At solenni ritu in-  
 ter Coelites nondum relatus fuit.

§. LXII.

*Innocentius V & Adrianus V summi  
 Pontifices.*

Apostolica sedes decem tantummodo  
 diebus vacabat: & 21 Jan. Cardina-  
 les in conclave inclusi Papam cooptabant  
 Petrum Tarantasinum Ordinis Fratrum  
 Prædicatorum Cardinalem Episcopum *Rayn.*  
 Ostiensem, qui Innocentius V dici voluit. *n. 5. 17.*  
 Cum mox Aretio Romam transiisset, pri- *Papebr.*  
 ma jejunii verni Dominica 23 Febr. in S. *conat.*  
 Petri basilica coronatus Lateranense pa-  
 latium incolebat. Sed in morbum ibi de-  
 lapsus obiit 22 Junii post quinque ponti-  
 ficatus menses. Humatus est in Latera-  
 nensi S. Joannis templo, & Carolus Sici-  
 liæ Rex ejus exequiis interfuit.

Post septemdecim vacationis dies e- *Rayn.*  
 lectus fuit Ottobonus Fiescus Genuensis *n. 26 27.*  
 Papæ Innocentii IV nepos, Cardinalis *Papebr.*  
 Diaconus tit. S. Adriani, a quo nomen  
 Adriani V cepit. Jam tum ægrotans co-  
 gnatis suis summam sibi dignitatem gra-

Uu 4 tulan-



Sæcul. XIII.  
A. C. 1276.  
tulantibus, Mallem, inquiebat, vobiscum colloqui Cardinalis sanus, quam Papa moribundus. Vix Ecclesiæ clavum tenebat, cum sanctionis de conclavi a Gregorio X, factæ executionem inhibuit, aliter de illo se decreturum asserens. Sed relicta Roma Viterbii agentem mors prævenit 18 Augusti, postquam unius mensis ac novem dierum spatio Ecclesiæ præfuerat nondum Episcopus, immo ne Sacerdos quidem consecratus. Viterbii in templo Fratrum Minorum terræ mandatus est; ubi sepulchrum ejus etiamnum cernitur. Sacrum solium per octo ac viginti dies vacuum fuit.

## §. LXIII.

*Concilium Bituricense.*

Interea Simon Briensis Cardinalis Presbyter tit. S. Cæciliæ Bituricis concilium habuit. Papa Gregorius X eum in Francia Legatum suum creaverat, & amplissima instruxerat potestate, ac juribus, inter alia utendi censuris contra omnis generis personas, etiam Templarios, cæterosque Equites Religiosos, Cistercienses, Cluniacenses, Præmonstratenses, Fratres Prædicatores, Minoresque insuper habitis ipsorum privilegiis. Hic ergo Legatus rogatione quorundam regionis Præfu-

to. II. conc.  
p. 1028.



Præfulum Bituricis concilium celebravit; Sæcul. XIII.  
 in quo sexdecim præscriptorum capitula edidit 13 Septembris an. 1276 sacra  
 sede vacante, ut credebat Gallia, quæ novum Papam hoc ipso die electum scire  
 haud poterat. Hæ præscriptiones tendunt præcipue ad tuendam jurisdictionis  
 & immunitatis ecclesiasticæ amplitudinem, quam Clerus tum possidebat, & homines profani constringere conabantur.  
 Notatu digniores vide!

Graves motæ sunt querimonie, quod in Francia electionum libertas turbaretur  
 ita, ut multitudo populi per improbos concitata facta in electores impetu electionem quibusdam in locis impediret,  
 & in aliis ipsos eam differre cogeret; sicut nuper admodum Lugduni, Carnuti-  
 que ac Burdigalæ accidisset, ubi violentia usque eo progressa esset, ut sacræ sup-  
 plectilis Præfectus nobile cathedralis Ecclesiæ membrum necaretur. Pronun-  
 ciantur censuræ severissimæ contra reos talium violentiarum. At Principis au-  
 thoritas remedium efficacius futura fuisse videtur. Archiepiscopus Lugdunensis  
 tunc erat Ademarus Ruscinonensis monachus Cluniacensis, qui an. 1275 Papæ  
 Gregorii jussu successerat Petro Tarantasio Romano purpura, & Ostiensi infula  
 tum

cap. I. p. 1018

Gall. Chr.  
to. I. p. 325.

p. 216.

Uu 5

tum



Sæcul. XIII. tum ornato. Archiepiscopus Burdigalensis erat Simon Roccavardensis, qui e  
A. C. 1276. Lemovicensi Canonico Decanus Bituricensis in Lemovicensem Episcopum an. 1272 electus fuerat una cum alio quodam: & controversia necdum dirempta erat, cum Simon mense Septembri an. 1275 euectus est in metropolitanum solum Burdigalense ab anno 1269 vacans, quo Petrus Roncevallensis decesserat.

Creati a Legato Judices potestate sibi tradita pluribus modis abutebantur. Jubebant generatim in jus vocari eos, quos tabellarius nominaret, & pro absolutione a censuris multas exigebant.

c. 2. 3. Concilium Bituricense utrumque abusum prohibet, ac ea, quæ hic subjungo. Judices ordinarii seu Præsules non nimis facile audiant monachorum querelas de ipsorum Abbatibus præsertim in materia correctionis. Laici non impediunt, vel turbent jurisdictionem Præsulum; nec ad extorquendam absolutionem a censuris vim aut minas adhibeant. Judices profani Clericos nec coram se comparere, nec in præsentia privilegium Cleri proferentes litigare cogant: justæne an iniquæ sint censuræ aut quæcunque alia causa spiritualis, cognitionem non capiant:



piant: denique non rejiciant testamenta Sæcul. XIII.  
 coram Consulibus vel Judicibus profanis A. C. 1276.  
 non condita. Nempe Clerus ea recipien-  
 di, & in executionem inquirendi jus pos-  
 sidebat.

c. 9.

Portoria non extendantur ad bona,  
 quæ Clerici terra vel aqua vehi curant,  
 dummodo id non faciant negotiationis  
 causa. Non proclamantur edicta eccle-  
 siasticæ libertati contraria. Nemo mu-  
 tilet, faucietve, aut male habeat profu-  
 gos in templa cæteraque præsidii loca,  
 vel per vim eos inde abstrahat. Nemo  
 denique impediatur, minuaturve jurisdic-  
 tionem Ecclesiæ in rebus, quarum cogniti-  
 onem ista ex veteri consuetudine tranquil-  
 le possidet. Nullus Religiosus aut secu-  
 laris exemptus abutatur suis privilegiis,  
 proscriptos ad officia divina vel Sacra-  
 menta, aut sepulturam ecclesiasticam ad-  
 mittendo. Fori sacri apparitores vel ta-  
 bellarios nemo verberet, vel capiat, aut  
 in carcerem detrudat. His cunctis inhi-  
 bitionibus adduntur censuræ gravissimæ;  
 proscripcio latæ sententiæ, interdictum,  
 jactura prædiorum ab Ecclesiæ clientela  
 pendentium, fontium poena etiam in fi-  
 liis, quos a beneficiis excludit. Archie-  
 piscopus Bituricensis, cujus ætate hoc  
 concilium habebatur, erat Guido Solli-  
 acensis

c. 10.

c. 11.

c. 12.

c. 13.

c. 15.

c. 16.



Sæcul. XIII.  
A. C. 1276.

*Gall. Chr.*  
*to. I. p. 178.*  
*Patr. Bitur.*  
c. 73.

censis filius Henrici, qui Galliae Regi a poculis fuerat. Prædicatorum Ordinem ingressus, cum ibi multos per annos exempli optimi vitam duxisset, Prior cenobii Parisiensis evasit: e quo evocatum Papa Innocentius V metropolitanæ Ecclesiæ Bituricensi præfecit 18 Maji hoc anno 1276, postquam sedes tribus annis ac totidem mensibus vacaverat mortuo Joanne Solliacensi Guidonis fratre. Papa eundem professus Ordinem illius viri merita noscebat.

FINIS TOMI XXI.



INDEX